Mor. 9.16.

Mon. Fool

HALLUCINATIONES

A. R. P.

VIRGILII SEDLMAYR

Benedictini Wessofontani,

p.t. Vicarii in Isfldorff,

Circa

MANDATUM

PRIMUM & MAXIMUM

AD SOLEM EXPENSÆ

AB

A. R. D. EUSEBIO AMORT,

Can. Reg. Lateran. Pollingæ, Eminentissimi Cardinalis LERCARI, nec non Serenissimi, ac Reverendissimi D.D. JOSEPHI Episcopi Augustani S. R. I. Principis Darmstadiani, Landgravii Hassiæ &c.&c.

Theologo.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. & HERBIPOLI.

Typis & sumptibus Martini Veith,

Bibliopolæ. 1749.

MUTATUM

Bayerische
Staatsbibliothek
München

APPROBATIO CENSORIS.

APologeticum hoc & juſtum & ſolidum eſt, ac Controverſiæ circa Ideam divini Amoris exortæ plurimum lucis aſpergit. Proinde luce publica fulgeat, & Lectorem altùm ac latùm illuminet. Auguſtæ 30. Junii 1749.

Imprimatur. H.S.

NICOLAUS ANTONIUS
SEIZ, J. U. Doctor, Sanctiſſ. Dñi Noſt. Præl. Domeſt. Eccl. Cathed. Auguſt. & Inſig. Colleg. in Haugis Herbip. Can. Reverend. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſt. Vicar. in Spiritual. Generalis mppr.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Th. Lic. Ser. & Reverend. Princ. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccl. Maj. Pœnit. & Lib. Cenſ. nec non Inſig. Eccleſiæ Colleg. ad S. Mauritium Canonicus & Parochus mppr.

FACULTAS

Reverendissimi & Amplissimi Domini Domini Præpositi &c.

NOs Franciscus Præpositus Canoniæ Pollingensis, & Abbas Lateranensis &c. dilecto Capitulari nostro, ac p.t. SS. Theologiæ Professori, præsentibus hisce Facultatem concedimus, ut Refutationem hanc æquissimam typis evulgare valeat. Pollingæ die 20. Maij anno 1749.

(L. S.)

Franciscus Præpositus & Abbas Lateranensis mppria.

Ad Lectorem.

Allucinari, ſeu ùt alii ſinè Aſpero ſcribunt, *alluci-nari* dicitur, qui *allu-ceſcente* primo diluculo objecta necdum exactè diſcernit. Inde non rarò evenit, quòd hallucinans aberrandô à via in longam errorum ſylvam abeat, vel in præcipitium ruat, aut, ubi non metuit, vehementer impingat. Id accidiſſe A. R. P. Virgilio Sedl-mayr, ſequentes meæ *Animadver-ſiones* ad ejus *Reflexionem*, ùt vocat, *Criticam* docebunt. Hallucinatio-nes profectò non congruunt Critico. Ars enim Critica eſt, non quæ calumnias exonerat in perſonas, ſed quæ res, & documenta exactè diſcer-nit. Ut vel unicum ſpecimen *Cri-ticæ Virgilianæ* Lectori prælibem,

folio 126. & 135. textum, ùt existimat, ex D. Gregorii Magni Dialogis *peremptorium* in prima acie collocat, quem tamen quis faciliùs in concavo Lunæ, quàm in Dialogis Gregorii Magni, quos citat, reperiet. Ejusmodi citationes haud dubiè non sunt characteres boni Critici, quàm parum exercitationes sutoriæ veteramentarii referunt Epomidem examinati, approbati, aut omninò graduati Theologi. Verùm jam tandem ad ipsas P. Virgilii Hallucinationes veniamus, quas ut benevolus Lector faciliùs intelligat, Speciem facti præmitto.

SPECIES FACTI.

Postquam Eminentissimus Cardinalis Lercarius Romæ me honoraverat titulo sui Theologi, edidi *Ideam Amoris divini*, Romæ & Augustæ approbatam, quæ in meis *Disquisitionibus Dogmaticis* cum nova Approbatione *Inquisitoris S. Officii*

Officii recuſa eſt Venetiis. Huic Ideæ varias objectiones moverat A. R. P. Georgius Lienhardt in ſuis Theſibus Theologicis ſub Titulo: *Ogdoas Erotematum*. Ideæ ſolum Erotema *tertium* & *quartum* oppoſuit. Reliqua ſex Erotemata de aliis tractant materiis, ſpeciatim ſextum, ubi examinat Author, an Chriſtus Incarnationem meruerit? Maturè quidem Opuſculo Lienhardiano, quà meam *Ideam* reſpiciebat, Apologiam oppoſui ſub Titulo: *Reſponſa ad ſcrupulos Lienhardii*. Verùm cùm Erotemate 3. 4. & 6. occurrerent propoſitiones, *reæ judiciò*, denuntiatus eſt Liber à Ser.mo ac RR.mo Epiſcopo Auguſtano ad S. Congregationem Indicis. Facto maturo Examine prodiit Decretum Confixionis, id ipſomet approbante SS. D. N. Benedicto XIV., quod Decretum etiam in Diœceſi Auguſtana in ſequenti, quæ hîc accluditur, formâ impreſſum & authoritate Ordinarii promulgatum eſt.

„ Nos JOSEPHUS, DEI &
„ Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus
„ Auguſtanus, S.R.I. Princeps, Land-
„ gravius Haſſiæ, Princeps Hirſch-
„ feldenſis, Comes Catimelibogi,
„ Diez, Ziegenheim, Nidda, Schaum-
„ burg, Iſenburg, & Budingen, Ab-
„ bas Exemptus S. Helenæ in Föld-
„ war in Hungaria &c. Eques
„ Ord. S. Huberti &c. &c.

„ PRodiit nuper ex prelo Ulmenſi
„ Liber inſcriptus -- *Ogdoas Ero-*
„ *tematum* -- Authore Georgio Lien-
„ hardt, S. Ordinis Præmonſtraten-
„ ſis in Roggenburg Diœceſis No-
„ ſtræ Auguſtanæ, anno 1746. abs-
„ que ullius Ordinarii Cenſura & Ap-
„ probatione, typis impreſſus, & ſuc-
„ ceſſivè in eadem Diœceſi Noſtra
„ publicatus, quo Expoſitionem pri-
„ mi & maximi mandati ſub Titulo --
„ *Idea divini Amoris* -- à Theologo
„ Noſtro, Euſebio Amort, Canonico
„ Regulari in Polling cum Approba-
„ tione S. Palatii Apoſtolici Magiſtri,
„ duorúmque Theologorum Roma-
„ norum, nec non Cenſoris Noſtri
„ Ordinarii, anno 1739. typis Augu-
„ ſtanis

„ſtanis editam, præcipuè aggredi-
„tur, variásque ejusdem propoſi-
„tiones convellere nititur. Cùm ve-
„rò Liber iſte -- *Ogdoas Erotema-*
„*tum* -- ab Authore nuncupatus, ſub
„die 18. Aprilis currentis anni 1747.
„à S. Congregatione Indicis, cu-
„jus eſt ea de re judicare, fuerit con-
„fixus juxta fidem authenticam, No-
„tis à præfata Congregatione cum
„ſubſcriptione Secretarii & ſigillo
„Em.mi D. Cardinalis Præfecti ex Ur-
„be transmiſſam, tenoris, ùt ſequi-
„tur --

Die 17. Junii 1747.

„TEſtor ego infra ſcriptus, Librum „
„ inſcriptum „ Ogdoas Erote- „
„matum ex Octonis Theoſophiæ „
„Scholaſticæ Tractatibus publicæ „
„Luci, & Concertationi expoſita „
„in Imperiali Immediata, ac Ex- „
„empta Canonia Roggenbur- „
„genſi, Sac. Cand. Ord. Præ- „
„monſtratenſis, Præſide, & Au- „
„thore P. Georgio Lienhardt &c. „
„ Menſe Auguſto 1746. Ulmæ, ty- „
„pis Joannis Georg. Vogelii, Rei- „
„publ. Typograph. „ fuiſſe in po-

„ ſtrema Congregatione Indicis 18.
„ Aprilis an. 1747. à S.R.E. Cardina-
„ libus prohibitum, annuente SS.mo
„ D.no Noſtro Papa BENEDICTO
„ XIV. P.M. In quorum fidem

Datum Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali die & anno ſupradictis.

(L.S)

F. Joſeph. Auguſtinus Orſi,
Ord. Prædicatorum Sac.
Ind. Congr. Secretarius.

„ Hinc eſt, quòd ad concreditũ No-
„ bis gregem à noxiis hujusmodi
„ pabulis arcendum, omnes & ſin-
„ gulos, præſertim animarum Cura-
„ tores, ex Paſtoralis officii debito, id
„ ipſum monendos eſſe duximus, ne-
„ quis Librum ita, ùt præfertur,
„ confixum legere, aut penès ſe reti-
„ nere præſumat, ſed ſicubi inven-
„ tus fuerit, ad officium Vicariatûs
„ Noſtri quantocyus transmittat;
„ quod ut ad omnium notitiam de-
„ duceretur, præſentes Vicariatûs
„ Noſtri Epiſcopalis majori ſigillo,

&

„ & Vicarii Noſtri Generalis ſub-
„ ſcriptione munitas, more con-
„ ſueto publicari juſſimus Auguſtæ
„ die 28. Julii 1747.

Nicolaus Antonius Seiz
Vicarius Generalis.

FActa hac publicatione, cùm A. R. P. Lienhardius ſcire optaret cauſam confixionis, per Procuratorem Generalem ſui Ordinis SS.mo D.no N. Benedicto XIV. Libellus ſupplex exhibitus eſt, in quo Orator nomine totius Ordinis Præmonſtratenſis humillimè ſupplicavit, quatenùs Sanctitas ſua ordinare dignetur S. Congregationi Indicis, ut prædictus Liber *Ogdoas* novo Examini ſubjiciatur, & propoſitiones corrigendæ communicentur in finem, ut debitè poſſint corrigi, & Liber prævia approbatione reimprimi. Petito gratiosè annuit, & 6. Auguſti 1748. per Reſcriptum inſinuavit S. Congregationi Indicis, & RR.mo P. Orſio, tunc temporis S. Congregationis Secretario, ut ſibi loquatur. Nec multò pòſt, nimirum 2. Septembris anni præteriti S. Congregatio Indicis convenit, decrevit, & ordinavit, ut propoſitiones in Libro *Ogdoas* cenſuratæ P. Lienhardt communicentur,

&

& pro cõrectione transmittantur. RR.mus P. Orſi 12. Februarii anni præſentis *Notas*, *Cenſuras*, vel *Menda* emendanda præfato Generali in Curia Romana Procuratori extradidit, A. R. P. Lienhardio quamprimùm transmittendas, quæ in ſequenti ſumma RR.mo Vicario Generali Auguſtano in ſeparata ſcheda exhibitæ ſunt.

NOTÆ

Quas RR.mus P. Joſephus Auguſtinus Orſi Ord. Prædic. S. Indicis Congregationis Secretarius 12. Februarii 1749. per in Curia Romana Procuratorem Generalem Ordinis Præmonſtratenſis D. D. Nicolaum Meyrs, & Belli-Campi Abbatem tranſmiſit A. R. P. Georgio Lienhardt Roggenburgenſi cum ſpeciali mandato & clauſula, ut ſecundùm illas librum ſuum *Ogdoas* explicet & corrigat.

„ EX Erotemate 3. deleantur
„ omnia illa loca, quibus ſigni-
„ ficari videtur, ad juſtificatio-
„ nem impii non requiri propoſitum

„ effi-

„ efficax placendi Deo per actus amo-
„ ris practicos : aut saltem ita expo-
„ nantur , ut mens Authoris non fuerit
„ negare , ejusmodi propositum impli-
„ citum esse necessarium , ut impius ju-
„ stificetur , sed solùm explicitum.

„ Erotemate 4. N. 21. deleantur
„ verba illa : *Sed potiùs supponant* ,
„ quod omnis amor perfectæ charitatis
„ sit amor purus , seu non intereſſatus.

„ Erotemate 6. omnino supprima-
„ tur , nam corrigi & emendari non
„ potest.

Hucusque Rescriptum ex S. Congregatione per RR.mum Secretarium , P. Orsium , qui interea præterito Mense Aprili die 25. promotus est ad amplissimum munus Magistri S. Palatii.

Ubi notandum , quòd Erotemate 4. dum jubentur expungi illa verba : *Sed potius supponant &c.* de Doctoribus sermo sit , quos Lienhardius affirmat *supponere* , omnem amorem perfectæ charitatis esse amorem purum , seu non intereſſatum.

Verùm P. Virgilius, cùm non solùm malignè interpretaretur Decretum sui Ordinarii , quasi in eo omnibus Parochis præscriberentur sententiæ à me adoptatæ in mea Idea Amoris , impugnatæ à Lien-

hardio Erotemate 3. & 4., quod profectò ab ejus mente alieniſſimum erat, cùm aliud ſit, oviculas concreditas arcere à *paſcuis noxiis*, ſic declaratis à S. Congregatione; & aliud, inter variantes Paſtorum ſententias *definire ſalubria*, ſubitò absque petitione explicationis aut informationis, à RR.mo Ordinario poſtulandæ, ſibi prorumpendum in publicum, atque extollendum vexillum cenſuit editô libellô ſub Titulo: *Reflexio Critica in Ideam divini Amoris propoſitam ab A. R. D. Euſebio Amort &c.* In eo palam declarat, *non accidiſſe Romæ confixionem per publicam ſententiam ſummi Pontificis circa Refutationem Lienhardianam Ideæ quoad Refutatoris* (Lienhardii) *ſententias Ideæ oppoſitas.* Ita ſcribit fol. 92. N. 113. Ibidem Num. 114. docet, ſententias Lienhardii, quibus refutat Ideam, *continere doctrinam prorſus innocuam.* Et rurſus fol. 115. N. 135. aſſerit; *ſe non ſcripſiſſe ad accuſandum, ſed ad ſe liberandum ab inobedientia erga non receptam prohibitionem Ogdoadis quoad ſententias: ſéque hucusque oſtendiſſe, quòd Lienhardius, primus Refutator Ideæ, in poſſeſſione præclariſſimæ doctrinæ ſit immobilis.* Ita P. Virgilius. Quòd loquatur de doctrina Lienhardiana tradita *Erotemate* 3. & *Erotemate* 4., manifeſtum eſt; quia P. Lienhardius Ideam

in

in totò ſuo libro nullibi confutat, niſi Erotemate 3. & 4.

Itaque cùm Erotema 3. & 4. corrigi juſſum ſit Decreto S. Congregationis Indicis, doctrina à S. Congregatione confixa & emendari juſſa vocatur *prorſus innocua*, & *præclariſſima* à P. Virgilio, ab eóque laboratur omnibus viribus, ut ea doctrina P. Lienhardii, qua Ideam refutat, ab omnibus Diœceſanis Parochis & Clericis habeatur pro *præclariſſima* & *prorſus innocua*. Quid laudis vel præmii P. Virgilio pro hac ſua induſtria manſurum ſit, tempus docebit. Ego interea hallucinationes illius & inprimis calumnias enormes, quibus me inſolenter petit, ordinatim perſequar. Oſtendam, eum hallucinari plusquàm centies graviſſimè & imperitiſſimè; falſiſſimas autem eſſe eas calumnias quatuor, quibus aſſerit 1. à me doceri, *nullam dari contritionem juſtificativam extra Sacramentum.* 2. *Quòd doceam, charitatem perfectam ſtare cum peccato mortali.* 3. *Quòd impugnem Immaculatam Conceptionem B. Virginis.* 4. *Quòd mea doctrina circa cultum Immaculatæ Conceptionis & circa efficaciam Interceſſionis B. Virginis non ſit ſecura in praxi.* Falſitas harum calumniarum, ex quibus ille aliam Bajaniſmi calumniam ſtruit, lu-

cu-

culenter demonſtrabitur in Animadverſione 8. 123. 104. 120. 124. 132. 133.

Colliget Benevolus Lector ex Controverſiæ hujus turbulentis motibus, quæ vis opinionum popularium, & quæ veritatis, innixæ Traditionibus Patrum ac Theologorum veterum, firmitas ſit.

HAL-

HALLUCINATIONES A.R.P.VIRGILII.

HAllucinatio 1. *Author Ideæ ſibi ipſi contraria loquitur; nam in C. 3. probat, benevolentiam puram eſſe in Propoſitionibus Fenelonii confixam, & in C. 2. docet; benevolentiam affectivè talem eſſe bonam.* Ita P. VIRGILIUS f. 2. N. 4. 1.

Animadverſio. P. Virgilius ſtatim in primo folio nigrum cum albo confundit. Scripſi ego in *Idea divini amoris* C. 3. quòd ex doctrina ſtatuentium amorem Dei perfectum in amore puræ benevolentiæ deſintereſſato *neceſſaria connexione* inferri queant propoſitiones damnatæ Fenelonii. At P. Virgilius ſcribit, quòd eô locô probem, *benevolentiam puram* in propoſitionibus Fenelonii damnatam eſſe. Quàm hæc duo diverſa ſint, nemo non videt. Qui enim dicit: Amor Dei perfectus non conſiſtit in temperantia, aut in fide, non eo ipſo damnat temperantiam aut fidem. Sic & ego C. 2. do-

cui; actus benevolentiæ puræ, *affectivè tales* (in re ipsa namque eos semper implicitè continere desiderium summi boni satis manifestè demonstravi) bonos esse: sed C. 3. docui; in ejusmodi actibus puræ benevolentiæ non consistere perfectum amorem Dei; immo hanc doctrinam sic comparatam esse, ut ex ea necessaria connexione error Fenelonianus fluat. Quænam in his meis duabus propositionibus umbra contradictionis? Itaque P. Virgilius non rectè vidit. *Allucinatus est.*

2. Hallucinatio 2. *Benedictus XIV. in Opere de Beatificatione L. 2. C. 31. n. 7. attestatur, quòd Innocentius XII. in Propositionibus Fenelonii non damnârit actum amoris puri à metu & spe, sed statum habitualem amoris puri.* f. 3. n. 5.

Animadversio. Hanc Propositionem P. Virgilii distinguo. Summus Pontifex dicit, non esse *directè* damnatum, quòd actus charitatis consistat in actu puræ benevolentiæ. Concedo. Dicit, id nequidem *indirectè* esse damnatum. Nego. Promotori fidei, cujus munere tunc modernus Pontifex præclarissimè fungebatur, & S. Congregationi rituum ad excudandam eam personam, de cujus Beatificatione agebatur, abundè suffecerat, quòd illa non impegisset in sententiam

dire-

directè & *apertè* damnatam. Neque enim sanctitati obstat, si persona ignoret aliquam veritatem, quæ *ob connexionem terminorum* ex propositione revelata aut definita per Conclusionem Theologicam legitimam inferri possit. Hinc SS. D. N. Benedictus XIV. non negat, hanc propositionem, quòd amor perfectæ charitatis sit amor purus seu non interessatus, fuisse saltem *indirectè*, & *per consequentiam* damnatam. Nam si *habitualis status* perfectæ charitatis non potest consistere in habituali amore puro, seu non interessato, per illationem Theologicam *connexione necessaria* sequitur, quòd etiam *actus* perfectæ charitatis non consistat in actu amoris puri seu non interessati. Cùm enim omnes actus aliarum virtutum v. g. temperantiæ, patientiæ, humilitatis, fidei, spei &c. inclinent, disponant, & concurrant ad formandos acquisitos habitus, & status habituales; manifestum est, quòd etiam actus perfectæ charitatis, in quocunque amore consistant, inclinent, disponant, ac concurrant ad formandum habitum, seu statum habitualem perfectæ charitatis. Itaque si actus perfectæ charitatis consisteret in actu amoris puri, seu non interessati, eo ipso etiam daretur in viris perfectis status habitualis ejusmodi amo-

ris puri, non intereſſati. Quòd autem SS. D. N. Benedictus XIV. non faveat eorum ſententiæ, qui charitatem perfectam conſtituunt in amore puræ benevolentiæ, ſeu non intereſſato, patet inſpicienti eundem librum 2. C. 31. n. 10. ubi manifeſtè docet, quòd in actu perfectæ charitatis contineatur ſaltem *implicitè* amor concupiſcentiæ erga Deum ùt nobis bonum per beatitudinem æternam, tanquam *objectum ſecundarium*, attamen *eſſentiale*; quia de ſolis objectis eſſentialibus ibi ſermo eſt. Sic ſcribit: *Cum controverſia inter Archiepiſcopum Cameracenſem* (Fenelonium) *& Epiſcopum Meldenſem* (Boſſuetum) *à ſummo Pontifice Innocentio XII. reſoluta non actum amoris, ſed amoris ſtatum habitualem* (directè) *reſpiceret; nullum verò in Opere* (Servi Dei) *quod examinabatur, verbum haberetur de ſtatu habituali, ſed tantùm de actu amoris, placuit ſacræ Congregationi reſponſio, quòd doctrina ſervi Dei nihil haberet commune cum doctrina reprobata Archiepiſcopi Cameracenſis. Multo autem magis id ei placuit; quia perſpecto toto operis contextu viſus eſt Dei ſervus ſæpiſſime de ſpe Theologica, & de eximia cupiditate fruendi Deo locutus fuiſſe; & ita quidem, ut tutò dici potuerit, ab eo non fuiſſe NB. in actibus*

amoris, ſuper quibus quæſtio inſtituebatur, ſeparatum objectum æternæ beatitudinis; ſed tantùm ab eo ſe abſtraxiſſe. Qua in re nihil ineſt abſurditatis, quippe cùm juxta Theologos præcipuum & primarium charitatis objectum ſit Deus in ſe perfectus, bonus, & beatus; Objectum autem minus præcipuum, ſecundarium, & priori ſubjectum, ſive ſubordinatum, ſit Deus uti beneficus ac beatificus, Deus porro in ſe optimus ac beatiſſimus poteſt quidem ſecundùm ipſos (Theologos) *cogitari cogitatione abſtractiva ac tranſitoria, absque eo, quòd actu & expreſsè cogitetur de Deo benevolo ac benefico; ſed Deus benevolus ac beneficus cogitari non poteſt, niſi priùs intellectô Deo in ſe beatô ac optimô, ordine ſanè naturæ, & per ſe cognitionis, ut ajunt, non tamen ſemper temporis.* Ita SS. D. N. Benedictus XIV. ſuccinctè complectens veram & ſanam doctrinam Theologorum de actu perfectæ charitatis, in quo Deus conſideratur ſub duplici ratione, nempe ùt *bonus in ſe*, & ùt *beatificus*. Sub priori conſideratione attingitur ab actu charitatis tanquam *objectum primarium* per tendentiam benevolentiæ; ſub altera conſideratione attingitur ab actu charitatis per tendentiam

concupiſcentiæ. Hæ autem duæ conſiderationes in actu charitatis ita poſſunt importari, ut una importetur *explicitè* ſeu *expreſsè*, altera ſaltem *implicitè*; & perinde eſt, ſive in actu charitatis ordine temporis præcedat conſideratio Dei ùt *beatifici* beatificatione eſſentiali, ſive præcedat conſideratio Dei ùt *boni in ſe*. Itaque P. Virgilius, dum ex SS. D. N. Benedicto XIV. probare conatur, eam doctrinam, quòd actus perfectæ charitatis conſiſtat in actu amoris puri ſeu non intereſſati, ne quidem indirectè & per conſequentiam mediante illatione Theologica fuiſſe damnatam, non benè vidit mentem SSmi. *Allucinatus eſt.*

3. Hallucinatio 3. *Benedictus XIV. atteſtatur, in Propoſitionibus Fenelonii ab Innocentio XII. non damnari actum amoris puri à metu & ſpe, ſed ſtatum habitualem amoris puri, ſeu quod idem eſt, amorem eſſentialiter purum pro omni ſtatu excluſivum actuum timoris & ſpei, quod jure damnatur; quia pro hac vita nullus datur ſtatus liber ab obligatione timoris pœnarum æternalium, & ſpei bonorum futurorum ad hominem à lapſu præſervandum in ipſis tentationibus.* Ita P. Virgilius f. 3. n. 5.

Animadverſio. In his paucis lineis plura animadverſione digna ſunt. Nam

inprimis non bene adducitur teſtimonium SS. D. N. Benedicti XIV, prout proximè oſtenſum eſt. *Secundò* per actum amoris puri à P. Virgilio per decurſum hujus controverſiæ non intelligitur amor purus à metu & ſpe, ſed purus ab amore concupiſcentiæ ſeu deſiderii. Nos ipſi cum Theologis tuemur, in actu charitatis quoad ejus eſſe *formale* non includi metum aut ſpem; defendimus tamen, in actu charitatis ſaltem implicitè includi amorem concupiſcentiæ, qui diverſiſſimus eſt à virtute ſpei, utpote quæ juxta D. Thomam & me non eſt ipſum deſiderium beatitudinis, quod involvit, ſed *ſecura exſpectatio* beatitudinis. *Tertiò.* Cauſalis propoſitio, ideo in Fenelonio damnatum eſſe ſtatum habitualem amoris puri; *quia interdum in vita occurrunt tentationes*, in quibus eſſet eliciendus actus ſpei & timoris, non ſubſiſtit. Stante enim hôc motivô adhuc in animabus perfectis ſtatus habitualis amoris puri poſſet & deberet dari; quia per hoc non tollitur ſtatus habitualis cujuscunque virtutis vel artis, quòd ejus actus proprii aliquando, ídque rariſſimè, interrumpantur per actus alterius virtutis. Immo defacto datur ſtatus habitualis in perſonis ſanctis operandi omnia ex amore Dei, & non ex metu inferni & noviſſimorum; etſi fortè toto reſiduo vitæ

tempore non operentur ex metu inferni. Nec enim in omnibus hominibus recurrunt tales tentationes, quæ in anima ſanctа per motivum charitatis perfectæ ſuperari non poſſint. *Quartò.* Non rectè dicitur; dari obligationem eliciendi metum inferni, niſi aſſeratur ea obligatio *per accidens* in homine ſervili, qui aliter gravem tentationem ſuperare non poſſit. Cùm enim *charitas foras mittat timorem Joan.* 4., quis hominem ullo unquam tempore obliget ad non operandum ex charitate, ſed ex metu inferni? aut quis obliget, ut homo locô actûs charitatis teneatur potiùs elicere actum timoris non filialis? Itaque P. Virgilius iterum non benè vidit. *Allucinatus eſt.*

4. Hallucinatio 4. *Verba propoſitionum damnatarum in Fenelonio clarè indicant, quòd non actus amoris, ſed ſtatus amoris ut habitualiter & eſſentialiter excluſivus timoris & ſpei ſit damnatus.* Ita P. Virgilius f. 4. n. 6.

Animadverſio. P. Virgilius hôc locô non diſtinguit inter id, quod in propoſitionibus Fenelonii *directè*, ac *in terminis*, eſt damnatum; & illud, quod eſt damnatum *indirectè ob connexionem neceſſariam* objectorum. Id enim centies in Theologia recurrit, ut aliqua ſententia

tia dicatur damnata vel definita *indirectè*, & *per connexionem*, in quantum per legitimam conclusionem Theologicam ejusmodi sententiæ veritas aut falsitas sequitur ex aliqua propositione damnata vel definita. Sic ipsemet P. Virgilius locîs infrà referendîs Halluc. 39. in suo libello f. 24. n. 32. & f. 25. & 26. contendit, meam doctrinam de charitate habituali, & contritione fuisse *indirectè* damnatam in Propositionibus Baii, & in doctrina Concilii Tridentini. Quòd autem inter *actus amoris puri non interessati*, & inter *statum habitualem amoris puri non interessati* detur necessaria connexio, eò quòd ex actibus virtutum oriantur habitus seu status habituales virtutum, in Animadvers. 2. & 3. sufficienter ostensum est. *Ubi illud præterea animadverto*, falsum esse, quòd status habitualis in alio quo genere virtutis debeat *essentialiter* ac *perpetuò* excludere actum oppositum. Neque enim per unum vel alterum actum transeuntem virtuti oppositum tollitur habitus virtutis. Itaque P. Virgilius, dum non benè distinguit inter damnationem *directam*, & *indirectam*, quarum posterior non solùm à Servis Dei, sed etiam à Theologis ob defectum combinationum & concatenatorum ratiociniorum ignorari potest, non benè vidit. *Allucinatus est.*

5. Hallucinatio 5. *Benevolentia pura, affectivè talis, juxta Authorem Ideæ est bona; & effectivè talis est impossibilis, quænam igitur est damnata à summo Pontifice? Planè summæ sedi attribui non potest; quod aut bona aut impossibilia condemnet tanquam perniciosa in praxi, quemadmodum damnantur propositiones Fenelonii.* Ita P. Virgilius f. 4. n. 7.

Animadversio. Ad hoc dilemma P. Virgilii facilis est Responsio. In propositionibus Fenelonii neque condemnata est benevolentia pura affectivè talis, neq; effectivè talis; sed damnata est *indirectè* & ob *connexionem necessariam* objectorum illa doctrina tanquam *perniciosa in praxi*, quòd actus perfectæ charitatis consistat in actu puræ benevolentiæ *affectivè talis.* Quòd enim hæc doctrina sit perniciosa in praxi, exinde ostenditur; quia multi homines existimandô, præcepto charitatis satisfieri per actum puræ benevolentiæ *affectivè* talem, non se obligant ad actus amoris practicos soli præcepto charitatis proprios, sed tantùm se obligant ad actus quosdam internos, potiùs speculativos, annuatim renovandos, atque ad actus practicos aliunde præceptos. Econtra ii, qui actum charitatis constituunt in actu *amicitiæ*, cujus

objectum & motivum eſt communicatio reciproca bonorum, cùm ſciant, ſe vî amicitiæ obligari ad actus gratuitos aliunde vi aliorum mandatorum indebitos, ubi præferri commoda amici cõmodis propriis exigit ordo amoris amicabilis, ſe ſe obligant etiam ad actus amoris amicitiæ *gratuitos*, aliunde vî mandatorum indebitos. Eousque non pertingit obligatio puræ benevolentiæ; quia illis, qui merentur noſtram benevolentiam, præcisè titulô benevolentiæ non tenemur exhibere actus obſequii gratuitos, præſertim arduos, aliunde indebitos. En! ingens diſcrimen in praxi. P. Virgilius hoc diſcrimen, quamvis ingens, non benè vidit. *Allucinatus eſt.*

Hallucinatio 6. *Appetitus propriæ felicitatis in ſe nec bonus eſt, nec malus, cùm careat libertate, ùt docet S. Thomas* 1. *p. q.* 18. *a.* 10. *inc.* Ita P. Virgilius. f. 5. N. 8. 6.

Animadverſio. Hôc locô P. Virgilius non diſtinguit inter appetitum *felicitatis in genere*, omnibus hominibus innatum, qui proin in genere moris nec bonus eſt nec malus, utpote carens libertate; & inter *appetitum elicitum felicitatis ſpecificæ*, reperibilis in fruitione beatifica Dei, & iſte appetitus elicitus non ſolùm bonus, ſed etiam materiale conſtitu-

ſtitutivum ſpei & charitatis eſt. Non igitur benè vidit P. Virgilius. *Allucinatus eſt.*

7. Hallucinatio 7. *Amor Dei perfectus non ponitur à nobis quà eſſentialiter purus à timore & ſpe; quia poteſt idem actus eſſe mixtus ex amore, timore & ſpe, exprimens omnes tres actus, ſub diverſa tamen formalitate: ſicut poteſt idem actus contritionis eſſe mixtus ex amore & dolore. Item poteſt actus amoris ſecum compati in eodem ſubjecto, diverſo tamen actu, timorem & ſpem.* Ita P. Virgilius f. 6. N. 9.

Animadverſio. Quòd actus amoris Dei perfectus poſſit eſſe mixtus ex amore, timore & ſpe, non placebit Thomiſtis, qui negant, eundem actum ſub diverſa formalitate poſſe eſſe mixtum ex actu *opinionis*, *ſcientiæ* & *fidei*; eò quòd idem actus nequeat eſſe formidoloſus & non formidoloſus &c. Cùm ergo juxta P. Virgilium actus perfectæ charitatis conſiſtat in actu puræ benevolentiæ, ſeu amore non intereſſato, non formidoloſo ullius inferni aut pœnæ, debebit reſpondere ſuis con-Thomiſtis, quomodo cum tali amore non formidoloſo in eodem actu poſſit componi timor formidoloſus relatè ad idem objectum, nempe infernum? Verùm non hoc eſt, quod pertinet ad ca-

put

put rei. Illud eſt, quod quæro; an ejusmodi actus concomitantes amorem purum deſintereſſatum eliciantur ex *formali motivo*, & ex imperio charitatis; ita ut timeatur infernus, & ſperetur beatitudo, quia ita placet Deo, ut timeamus ac ſperemus? vel non eliciuntur ex formali motivo & imperio charitatis? Si eliciuntur ex formali motivo & imperio amoris puri non intereſſati, re ipſa erunt formaliter actus amoris puri non intereſſati; & conſequenter docebitur ipſiſſimum, quod Fenelonius docet fieri in ſuo ſtatu habituali amoris puri deſintereſſati. Ipſemet enim admittit, quòd in illo habituali ſtatu amoris puri poſſint elici actus diverſarum virtutum v. g. timoris, ſpei &c. *Quia Deo ita placet*, & *quia Deus ita vult*, ut ſic v. g. timeamus, ſperemus &c.

Propoſitio ejus 5. ſic habet: *In eodem ſtatu nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.*

Et Propoſitio 6. ſic habet: *In hoc ſtatu nolumus amplius ſalutem, ùt ſalutem propriam, ùt liberationem æternam* (ab in-

inferno) *ùt mercedem noſtrorum meritorum , ùt noſtrum intereſſe omnium maximum ; ſed eam volumus voluntate plena , ùt gloriam & beneplacitum Dei, ùt rem, quam ipſe vult ; quam nos vult velle propter ipſum.* Et Propoſitio 19. Poteſt dici *in hoc ſenſu , quòd anima deſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenus eſt id , quod Deus à nobis vult.* Et Propoſitio 20. *In Confitendo* (ſacramentaliter) *debent animæ transformatæ* (per amorem purum) *ſua peccata deteſtari & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum , non ùt propriam purificationem, & liberationem ; ſed ùt rem quam Deus vult ; & vult , nos velle propter ſuam gloriam.* Et Propoſitio 23. *Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem , & tunc evadit unicum principium & unicum motivum* (formale) *omnium actuum , qui deliberati & meritorii ſunt.*

Hucusque damnatæ Propoſitiones Fenelonii. Ex quibus manifeſtum eſt ; à P. Virgilio, ſi actus timoris, & ſpei ſubordinat amori puro, ita ut eliciantur ex formali motivo & imperio amoris puri, reipſa idem doceri , quod docet Fenelonius ; atque ab eodem admitti talem

ſtatum

ſtatum habitualem amoris puri, in quo omnes actus ſubſequentes, licèt ſint materialiter actus ſpei & timoris, formaliter tamen ſint actus amoris puri deſintereſſati.

Quod ſi reſpondeat; ejusmodi concomitantes actus timoris & ſpei non elici ex formali motivo & imperio amoris puri, inprimis non benè facit paritatem cum actu contritionis, qui, ùt ait, eſt *mixtus ex amore & dolore.* Conſtat enim, in tali contritione *dolorem* elici ex formali motivo & imperio amoris, ita ut talis contritio ſit formaliſſimè actus perfecti amoris. Dein quæro, an ejusmodi actus timoris & ſpei concomitantes amorem purum ſint perfectiores vel imperfectiores, ſi non eliciantur ex formali motivo & imperio amoris? Quòd ſint perfectiores, dici nequit; quia juxta omnes Theologos perfectior eſt actus charitatis quàm actus alterius virtutis. Si autem dicatur, quòd ejusmodi actus ſit imperfectior, manifeſtum eſt, non dari obligationem, ut homo aſſuetus ad agendum ex motivo amoris puri, & paratus ad agendum ex motivo amoris puri teneatur ad omittendum actum perfecti amoris, atque ad ſociandum ſeu ponendum locò illius actum imperfectiorem timoris & ſpei. Itaque cùm reſponſio hæc

&

& doctrina P. Virgilii ad hoc abſurdum deducat, non benè vidit P. Virgilius. *Allucinatus eſt.*

8. Hallucinatio 8. *Author Ideæ docet falſo dogmate, quòd amor Dei perfectus in contritione ſit eſſentialiter purus à timore, tanquam per hoc diſtinctus ab attritione, ùt videre eſt in Reſponſ. ad propoſ.* 16. *Lienhard.* Ita P. Virgilius f. 7. N. 9.

Animadverſio. Hôc locô P. Virgilius errorem ſuum palmarem, ex quo mira Baiani erroris ſpectra educit, prima vice in apricum protulit. Supponit in ſua phantaſia tanquam rem certam, quòd in Reſponſis *ad ſcrupulos Lienhardianos* diſcrimen inter *attritionem*, & *contritionem perfectam extra ſacramentum* neque ab intenſione, neque ab extenſione amoris deſumam. Id, quod profecto falſiſſimum eſt. Nam cuivis attentè legenti contextum verborum manifeſtum erit, me loqui de diſcrimine inter attritionem & contritionem perfectam in ſacramento Pœnitentiæ. *Attritio* in ſacramento Pœnitentiæ, prout ab authoribus accipitur, *ex ſuo genere* diverſas ſpecies contritionis imperfectæ complectitur. Aliqui enim per eam intelligunt dolorem conceptum ex turpitudine peccati,

cati, vel ex metu ſervili pœnarum inferni. Alii per eam intelligunt dolorem conceptum ex timore initiali, ſeu quod in idem recidit, ex dilectione initiali. Ut autem æquivocationem attritionis, ſic ex ſuo genere acceptæ, evitarem, dixi, diſcrimen inter attritionem & contritionem perfectam ſacramentalem neque conſiſtere in extenſione vel intenſione actus, ſed in puritate motivi à metu ſervili, & à ſacramentali unione contritionis ad gratiam Sacramenti. *Per motivum purum* à metu ſervili, ita ut pœnitens non amplius *principaliter* moveatur à metu pœnarum inferni, contritio ſacramentalis perfecta diſtinguitur ab attritione imperfecta, tanquam ſpecies à genere, & tanquam pars à toto. Quia *attritio ex ſuo genere* includit *plures ſpecies* contritionis imperfectæ; contritio autem perfecta *ſacramentalis* dicit unam determinatam ſpeciem attritionis, nempe eam, quæ excludit metum ſervilem inferni tanquam motivi principalis, quod fieri nequit, niſi per motivum dilectionis initialis. Sic enim fit, ut per unionem ad gratiam Sacramenti ex attrito fiat contritus, & *attritio* de ſe imperfecta fiat ope Sacramenti perfecta, hoc eſt, informata per gratiam. Sed longè aliter res ſe habet circa attritionem & contri-

tionem perfectam extra Sacramentum. Nam ista extrasacramentalis contritio non fit perfecta per unionem ad gratiam Sacramenti, utpote quod Sacramentum extra Sacramentum non datur, sed per extensionem vel intensionem amoris, & depurationem majorem à motivo metus, ita ut homo nec *secundariò* amplius moveatur à metu pœnarum. Id patet ex D. Thoma in 4. dist. 34. q. 2. a. 1. qq. 2. ad 2. ubi ait: *Timor servilis & initialis eandem pœnam respiciunt; sed servilis tanquam principale objectum; initialis autem non; sed magis malum culpæ. Unde magis se tenet cum casto timore, quàm cum servili.* Et a. 3. qq. 2. *Timere pœnas æternas non est actus timoris initialis, sed compatitur secum istum actum sicut & timor castus; sed actus timoris initialis est timere separationem à Deo, sicut & casti, quamvis non ita perfectè.* Et qq. 2. c. *Timor initialis & castus sunt idem in substantia habitûs; differunt tamen accidentaliter.* Ex his D. Thomæ verbis patet, quòd tam in attritione, in qua concurrit timor & amor initialis, principale motivum sit separatio à Deo & fruitio Dei, ita ut, quamvis non daretur infernus, homo nihilominus serviret Deo; quamvis in timore & amore initiali, per modum motivi *impulsivi*,

con-

concurrat infernus, ita tamen, ut eo non posito vî motivi principalis poneretur actus. Hæc ita se habent in *attritione sacramentali*, quæ ex *informi* transit in *formatam* & *formaliter perfectam* per informationem gratiæ sacramentalis. Si tamen eadem attritio ponatur extra Sacramentum, non transibit in contritionem *formaliter perfectam* ex gratia Sacramenti, utpote quod non datur, sed debebit induere majorem *perfectionem materialem* per *extensionem vel intensionem* actûs, & per majorem depurationem à metu, ita ut ne quidem secundariò respiciatur ad pœnas inferni, nisi solùm *concomitanter*. Tunc enim primùm ejusmodi contritio fiet *materialiter perfecta*, & fiet justificativa etiam extra Sacramentum. Hæc est doctrina D. Thomæ; nam in 4. dist. 34. q. 2. a. 3. qq. 2. c. scribit: *Timor castus & initialis differt; quia initialis imperat actum non solùm propter separationem* (à Deo) *sed etiam propter pœnam, quod non contingit in timore casto, qui ad solam separationem* (à Deo) *oculum habet*. Et ibid. qq. 3. c. addit. *Perfecta charitas actum timoris casti nunquam diminuit* (quo timetur separatio à Deo) *sed actum timoris servilis foras mittit, ut nunquam jam oculus habeatur ad pœnam in agendis vel omittendis.* En! D. Thomas perfectam

charitatem, ac consequenter contritionem justificativam elicitam ex motivo charitatis, docet ita esse puram à metu, ut, si sit justificativa extra Sacramentum, ne quidem includat metum initialem, qui licèt minus principaliter, adhuc tamen, ùt ibidem a. 1. qq. 2. ad 2. dicit; *pœnam respicit.* Qua ergo temeritate P. Virgilius *falsi dogmatis* publicè arguit doctrinam formalissimè contentam in Angelico? Profectò in hac re non benè vidit. *Hallucinatus est.*

9. Hallucinatio 9. *Nihil est absurdi, nec usque ad miraculum difficile, ut quis sit paratus etiam vitam beatam abjicere, si Deo placeret, quamvis Deus hoc non præcipiat; & sic constat fecisse nonnullos ex Sanctis.* Ita P. Virgilius f. 7. n. 10.

Animadversio. Quòd difficillimus sit iste actus conditionatus, libenter excidendi suo fine ultimo, & nihilominus inter extremas ærumnas ac tormenta Tyrannorum gratis serviendi Deo æternùm, si Deo placeret, appello ad sensum communem hominum; quòd autem etiam absurdus sit, patet ex eo, quia si hoc placeret Deo, ut homo sanctus & amicissimus Deo sine suo demerito excidat fine ultimo, sícque per totam æternitatem maneret in statu violento naturæ, quæ appetitu innato tendit ad beatitudinem,

dinem, Deus non esset Deus, & sic homo vellet servire Deo in eo casu, quo non daretur Deus.

Quod attinet *Præceptum* eliciendi ejusmodi actum abdicationis conditionatum, P. Virgilius conatur ostendere, hunc actum esse consilii, non præcepti. Verùm id responderi nequit. Si enim ille actus conditionatus solùm esset consilii, homo posset tutâ conscientiâ expressîs verbis ponere actum oppositum, dicendô: *Si Deus vellet me sine demerito excludere à beatitudine essentiali, nollem illi servire.* Cùm ergo explicitus hic actus non possit concedi à Patronis amoris desinteressati, manifestè sequitur ex eorum sententia, non esse consilii, sed præcepti, ut quivis hominum saltem implicitè, se Deo offerat ad ei serviendum, etsi teneretur se abdicare sua beatitudine æterna. Absurditas sequelæ monstrat absurditatem principii. Itaque *Hallucinatus est* denuo P. Virgilius.

Hallucinatio 10. *Non est verum, quòd sit vulgata persuasio, amorem Dei perfectum ex hoc ipso, quòd perfectus sit, excludere desiderium propriæ beatitudinis. Nam perfectus amor desiderium beatitudinis solùm excludit à linea & ratione specifica habitûs, non verò ab identitate actûs, vel saltem à consortio in subjecto.* f. 9. 10. n. 12. 13. 10.

Animadverſio. Quæſtio conſiſtit in eo; utrum juxta vulgatam perſuaſionem *deſiderium propriæ beatitudinis* excludatur ab actu perfectæ charitatis *formaliter* ſumpto; non autem eſt quæſtio, utrum *realiter* in eodem actu poſſint ſimul ſtare deſiderium beatitudinis, & actus perfectæ charitatis, ſicut à multis Philoſophis defenditur, quòd in eodem *realiter* actu identificari poſſint actus fidei, opinionis, & ſcientiæ, quamvis unius formalitas non includatur in altero. Itaque in hoc loco P. Virgilius invertit ſtatum Quæſtionis.

Dein etiam loquendô de concomitantia actuum perfectæ charitatis & ſpei, in noſtra ſententia facilis eſt illa concomitantia, tam in Angelis & animabus purgantibus, quàm in Patribus Limbi, & B. Virgine, & morientibus. cùm enim juxta nos Spes non ſit deſiderium nudum beatitudinis, ſed *ſecura expectatio beatitudinis*, & Charitas ſit *amor amicitiæ*, fundatus in mutua communicatione bonorum, nulla omnino difficultatis umbra apparet, cur ſpes & perfecta charitas non ſolùm in eodem ſubjecto, ſed etiam in eodem actu ſimul ſtare non poſſint? adminiculantur enim invicem. At verò, ſi ſpes conſiſtit in deſiderio propriæ beatitudinis, & perfecta charitas conſiſtit in

amo-

amore puræ benevolentiæ non intereſſato, difficile eſt, ut ſimul eodem momento prudenter in eodem ſubjecto v. g. in moriente, poneretur actus ſpei & perfectæ charitatis. Si enim moriens in articulo mortis teneretur elicere actum amoris deſintereſſati, vî cujus per actum charitatis formaliter dicat: *Amo te abſque intuitu ullius beatitudinis à te percipiendæ*, & ſimul eodem momento dicat: *Summè deſidero beatitudinem à te percipiendam*, ad ſenſum conditionatum recurrendum erit, ita, ut horum verborum ſenſus neceſſarius & ex præcepto ſit iſte: *Deſidero quidem beatitudinem; adeò tamen tibi affectus ſum, ut ſi me æternùm à tua beatitudine, ſine meo demerito excluderes, & in graviſſimis miſeriis relinqueres, nihilominus te amarem amore puræ benevolentiæ, exhibendô tibi obſequia amoris æterni.* Quis non videt, in quantam tentationem morientes conjicerentur, ne ejusmodi reſolutio fortè non ſatis ſeria ſit? At in noſtra ſententia omnia plana ſunt, & morientes ſine ſcrupulo ad Deum abeunt. Fide enim illuminati per ſpem confiſi in promiſſis divinis *ſecurè* beatitudinem expectant, ſi conatum ſuum conferant; per charitatem autem Deo ſummo bono jungi feſtinant, mutuóque amicitiæ fœdere, ſe, & ſuas

omnes facultates, & tolerantias ad majorem Dei gloriam extrinſecam ordinant. Hoc eſt, Deum amore perfectæ amicitiæ, ſeu charitatis amplecti. Quodſi quis dixerit, ab ejusmodi moriente ſpem cum amore deſintereſſato in hoc ſenſu conjungi, ita, ut moriens dicat: *Ideò volo meam beatitudinem; quia ita Deo placet*, iterum ſequitur, quod ad *Halluc.* 7. animadverſum eſt, ejusmodi actum elici ex formali motivo & imperio charitatis, ac conſequenter ipſum actum, licèt *materialiter* eſſet actus ſpei, formaliter ac ſimpliciter fore actum charitatis; ac conſequenter in tali caſu daretur re ipſa ſolum exercitium charitatis, ſicut contingeret in caſu, quo elicitur actus miſericordiæ, vel temperantiæ ex formali motivo & imperio charitatis, prout etiam contingit in ſtatu habituali amoris puri Feneloniano, ſicut l. cc. *Halluc.* 7. oſtenſum eſt.

11. Hallucinatio 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Non eſt falſa perſuaſio, quòd amor Dei perfectus poſſit excludere deſiderium propriæ beatitudinis. Probatur liquidis argumentis.* 1. *Modernus ſummus Pontifex L. De Beatif. 2. c. 31. actum puræ benevolentiæ cujusdam ſervi Dei, quo iſte voluit ſervire Deo ſine ullo præmio æter-*

næ vitæ, ſolummodo propter ipſum Deum, approbavit. Et S. Congregatio Rituum eundem ſervi Dei amorem revidit, & commendavit. 2. S. Paulus Rom. 9. voluit fieri anathema à Chriſto pro fratribus, id eſt, privari fruitione Chriſti, ut plures ſalventur, ùt Cornelius à Lapide & Tirinus exponunt. 3. Moyſes voluit deleri de libro vitæ pro ſuis Hebræis. Exod. 32. v. 32. quod pariter Cornelius à Lapide & Tirinus de amoris exceſſu, excludente deſiderium propriæ beatitudinis exponunt. 4. S. Ignatius, S. Xaverius, B. Jacobonus elicuerunt talem amorem; nam S. Ignatius optavit pro gloria Dei diutius laborare cum incertitudine ſuæ ſalutis, quàm ſtatim tranſire ad gloriam. 5. Bonus eſt iſte actus: Malo mei deſtructionem, & æternâ gloriâ privari, quàm Deum offendere. Item: Doleo, ô Deus! non quòd meruerim privari gloriâ æternâ, ſed quòd tuam infinitam bonitatem offenderim. 6. Eſt optimus actus, ùt ait Molina p. 1. q. 24. ſi velim deleri de libro vitæ, & ſeparari à beatifica fruitione Chriſti citra meam culpam, dummodo per hoc multi alii ſalventur. Ita P. Virgilius f. 10. n. 14.

Animadverſio. In his paucis lineis Hallucinationes multæ ſunt. Nam 1. falſiſſimum eſt, quòd SS. D. N. Benedictus XIV. approbaverit ejusmodi actum charitatis deſintereſſatæ, prout evidenter *Animad.* 2. demonſtratum eſt.

12. Secundò. Falſum eſt, quòd eundem actum approbaverit S. Rituum Congregatio. Nam S. Rituum Congregationi ſuffecerat, & placuit, quòd ſervus Dei non practicâſſet doctrinam *apertè* ab Eccleſia in Propoſitionibus Fenelonii condemnatam. An verò ea doctrina, *per connexionem*, & *illationem Theologicam* probari poſſet eſſe contraria definitionibus Eccleſiæ, non erat materia S. Congregationis. ſive enim eſſet *implicitè* ac *indirectè* contraria, ſive non, nullum propterea injiceretur impedimentum Beatificationi, quia ſervi Dei nec tenentur, nec poſſunt ſcire omnes eas veritates, quæ ex Scriptura & Traditione, & Definitionibus Eccleſiæ, ob connexionem objectorum per legitimam concluſionem Theologicam erui poſſunt.

13. Tertiò. Cornelius à Lapide non docet, quòd Moyſes voluerit amore majoris gloriæ Divinæ, ex ſalute totius populi Deo con-

conferendæ, excidere omni beatitudine, etiam ea, quæ consistit in visione ac fruitione Dei abstractiva, immo Cornelius à Lapide apertè docet, quòd Moyses sibi in hoc ipso actu reservaverit beatitudinem, saltem eam, quæ consistit in cognitione ac fruitione Dei abstractiva per participationem donorum, quæ debetur cuivis amico Dei, ita, ut sensus verborum Moysis fuisset: *Volo ad majorem Dei gloriam potiùs privari jure elevationis ad statum supernaturalem, atque spe ad visionem intuitivam Dei, in statu naturæ elevatæ debitam omnibus prædestinatis conscriptis in Libro vitæ illius sublimioris, atque contentus esse amicitiâ & beatitudine abstractiva, quàm videre, quòd gloria Divina patiatur tam enorme detrimentum ex perditione totius populi electi.* Hic actus amoris non est desinteressatus, sed continet *implicitè* desiderium beatitudinis, saltem abstractivæ, consistentis in naturali amicitia & fruitione abstractiva Dei. Quòd autem hic sit sensus verborum, & mens Cornelii à Lapide, patet ex ejus textu: sic enim habet: *Moyses totus abreptus charitate Dei, & gloriæ Ipsius, non considerabat alia huic voto annexa* (quinam videlicet effectus sequerentur ex suî deletione in libro præ-

prædeſtinatorum ad viſionem intuitivam Dei per eſſentiam) *vel certè , ſi id conſiderabat , cogitabat , charitatem in via eandem eſſe , quæ in patria , neque illic eſſentialiter fore perfectiorem , aut intenſiorem , quàm ſit hîc ; accidentalem autem charitatis perfectionem ex Dei fruitione* (intuitiva per eſſentiam) *manantem , uti & inclinationem ad Deô fruendum* (viſione intuitiva per eſſentiam) *ſeponebat , eaque ſe hôc votô ſuô excidere permittebat , utpote pro qua reponeretur ſibi major gratia , & charitas eſſentialis ; nec dubitabat , quin Deus eum per alias gratias copioſiſſimè remuneraretur.* Ita Cornelius à Lapide. Manifeſtum autem eſt ex his verbis, quòd Moyſes in actu amoris non excluſerit deſiderium ad *genus beatitudinis* , ſed tantùm ad *ſpeciem beatitudinis* , ſe ſe offerendô pro majore Dei gloria ad carentiam beatitudinis ſupernaturalis conſiſtentis in fruitione ac viſione intuitiva Dei per eſſentiam , ſéque reſtringendô ad ſolam beatitudinem abſtractivam , qui actus amoris , licèt in moderna providentia verſetur circa objectum impoſſibile , tamen eſt idoneus ad exprimendum explicitè naturam veri amoris erga Deum , cui homo tenetur ſacrificare omnia dona , aliàs naturæ humanæ indebita , ubi ejusmodi ſacrificium in ali-

quo

quo casu, possibili ac decente Deum, exigeret vel admitteret ingens emolumentum divinæ gloriæ. Addo: etiamsi unus vel alter Interpretum in alio sensu exponeret ejusmodi textus, id minimè futurum impedimento, quin talis expositio ob rationem & authoritatem non solùm eruditione Theologica, sed etiam numerô potiorum esse ac dici queat falsa. Certè circa præsentem textum & ratio suadet, eum aliter exponendum, & plerique Interpretes eum aliter exponunt.

In libro *Numerorum* 15. Moyses quoad sensum simillimo postulato in consimili causa ad Deum ait: *Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* In hoc autem textu manifestum est, quòd Moyses, sibi exorandô beatam mortem in gratia Dei, potius actu elicuerit, quàm sepposuerit desiderium beatitudinis. D. Hieronymus Ep. 151. *ad Algas.* & D. Gregorius L. 10. Mor. C. 7. in hoc ipsissimo sensu etiam priorem textum explicant, ita, ut sensus sit: *Aut dimitte populo hoc peccatum, ne eum penitus extinguas, aut etiam me è vita tolle, in tua tamen gratia.* Cor-

nelius ipſemet affert ſeptem alios Authores, & Calmet longè plures, qui præfatum textum longè aliter explicant, inter quos D. Auguſtinus, Hugo, Toſtatus, Cajetanus, Lipomanus. His addo P. Columbum, Soc. JEſu, qui in ſuo Commentario Litt. & Mor. in Scripturam hôc locô ſic ſcribit. *Hieronymus Epiſt.* 12. *ait: Moyſes compaſſionis loquebatur affectu, vult perire* (morte temporali) *cum pereuntibus, nec propria ſalute contentus eſt. Auguſtinus Pſal.* 77. *Moyſes intercedit paratior deleri pro ipſis, ſciens, apud miſericordem ſe id agere, qui quoniam nullo modo deleret ipſum, etiam illis ipſis parceret propter ipſum. Ita viri ſapientiſſimi & ſanctiſſimi Hieronymus & Auguſtinus, quos ſequitur Paulinus Ep.* 2. *ad Amandum. omnino docent, Moyſen petiiſſe mori cum populo moriente, aut ſi ipſe viveret, vivere etiam populum. Vult perire cum pereuntibus, inquit Hieronymus, vult non deleri à Deo, quos juſtè poſſet delere, quia ipſum juſte delere non poſſet, inquit Auguſtinus. Peribant verò & debantur illi morte ſolius corporis: neque igitur poſtulabat ipſe æternam animæ, ſed temporalem corporis mortem. Et vero*

id

id ita habere confirmat responsio Dei : Qui peccaverit mihi , delebo eum de libro meo , id est , eos ego delere cogito , quia peccaverunt mihi : tu vero , quid peccasti , ut te deleam ? Cogitabat autem eos occidere. Sed audi Chrysostomum , qui Hom. 13. in Epist. 1. ad Cor. ait : Moyses territus unicum Ægyptium fugit, & finibus excessit ; & tamen ille ipse fugitivus melle charitatis (fraternæ) *semel gustato , nemine cogente mori pro suis sustinebat. Si enim dimittis , inquit , peccatum , bis dimitte ; sin minus , me quoque de libro , quem scripsisti , expunges. Igitur liber vitæ hoc loco est liber vitæ non spiritualis, seu gratiæ , seu gloriæ, sed corporalis, & delere aliquem de libro vitæ est damnare atque afficere illum morte corporis. Locutio ex eo videtur accepta , quòd , ut censeretur populus , absdubio fuit liber , in quo scribebantur nati , è quo delebantur mortui.*

Hucusque P. Columbus. Consideratis hîs omnibus authoritatibûs patet , expositiones diversas ab expositione P. Virgilii esse eminenter tam ratione , quàm authoritate potiores , ita ut ejus expositio , in qua excluditur ab actu Moysaico etiam desiderium beatitudinis abstracti-

væ, comparativè; ne probabilis quidem ſit.

14. Quartò. Textus D. Pauli omnino eundem ſenſum habet. Interpretem P. Virgilio adduco domeſticum. Nam *Du Hamel* Presbiter ſæcularis, vir, dum viveret, à multis *Presbiter ſanctus* appellatus, in ſuo præclaro Commentario Scripturæ, quem P. Thomas Erhard, Confrater P. Virgilii, in ſua expoſitione Scripturæ ferme totum ſuum fecit, iſtum textum Apoſtoli exponens ſic ſcribit: *Longè probabilius eſt, Apoſtolum de æterna damnatione non loqui, quæ cum juſtitia Dei conciliari non poteſt. Non enim pœnîs æternîs damnari poteſt, qui charitatem habet. Ac profectò plus debeo ſalutem meam diligere, quàm aliorum mille. Unde longè probabilior videtur Hieronymi interpretatio, qui anathema ſumit pro corporis occiſione. Nam anathemata Græcis erant homines ſceleſti, qui ad urbis luſtrationem Diis Manibus mactabantur, ſi quæ immineret urbi calamitas. Atque ad hujusmodi ſacrificia Paulus videtur alludere. Eum dicebant hominem ſacrum, & Anathema à verbo ἀνατίθεμαι, ſuſpendo, conſecro, ἀνατιθέναι, ſeponere, vel ſuſpendere, ſignificat, vel donarium ſuſpen-*

ſpendere. Ita Du-Hamelius. Calmetus Interpres celeberrimus, & Confrater ejusdem Ordinis Benedictini cum P. Virgilio, eundem textum eodem in ſenſu exponit; ſic enim ſcribit: *Non ulla adeſt veritatis ſpecies, quòd S. Paulus concupierit æternis damnari ſupplicis, & Jeſu Chriſti iram ſubire, ut Judæorum ſalutem procuraret. Hujusmodi deſiderium minimè licet, & contra inſtituta ſua ageret S. Paulus, qui nuper probavit, nihil efficere poſſe, ut Dei Decreta, atque electorum prædeſtinatio in irritum cedant. Potuit S. Paulus propriæ vitæ, valetudinis, bonorúmque interitum petere, ita, ut ad eum ſtatum redigeretur, ad quem urbs, vel natio anathemati devota, ut, ſi poſſet, temporali ſua calamitate æternum fratrum ſuorum averteret interitum. Ita Moyſes etiam Deum rogabat, ut ipſum de vitæ libro deleret, hoc eſt, de viventium numero eriperet, niſi populo ſuo placari vellet. S. Paulus hoc ipſum petit. Id exercet, quod fecit Jeſus Chriſtus, & quod Apoſtolis atque populi ſui paſtoribus præcepit, ut videlicet pro ovibus ſuis vitam ponerent.* Ita Clamet. At P. Virgilius denuo Cornelium à Lapide & Tirinum compendiatorem Cornelii, ob omiſſionem ſub-

ſtantialium quandoque infelicem, adducit.

Dico; Cornelium denuò tantùm admittere, quòd pro majori Dei gloria & animarum ſalute libenter voluiſſet excidere *beatitudine ſupernaturali*, conſiſtente in viſione intuitiva Dei per eſſentiam & in conregnatione cum Chriſto, non autem à beatitudine conſiſtente in viſione Dei abſtractiva & in amicitia naturali cum Deo. Ea Cornelii mens colligitur ex his ejus verbis: *Optat Paulus* (inquit) *ſi Deus vellet & ſi fieri poſſet, æternam ſeparationem à beatitudine & gloria futura cum Chriſto, ut Judæi ſalventur. Optat ergo hôc locô Paulus idem, quod in ſimili cauſa optavit Moyſes Exodi* 32., *quia novit & ſcit, Deum, utpote liberaliſſimum, tam liberali animo, qui ſua commoda ſuámque beatitudinem divinæ gloriæ & fratrum ſaluti poſtponit, liberaliter quoque charitatis, gratiarum, & aliorum donorum cumulos & incrementa repenſurum, nec paſſurum, ut liberalitate ſuæ creaturæ vincatur.* Hæc propoſitio cauſalis, *quia novit & ſcit*, manifeſtè oſtendit; quòd formaliſſimè in actu amoris Paulini juxta Cornelium à Lapide contineatur deſiderium ad aliud genus beatitudinis ſuper-

pernaturalis vel naturalis! , consistentis in fruitione Dei saltem abstractiva , & in unione per amicitiam , fundatam in reciproca communione bonorum. Ad hanc expositionem Cornelii referri potest Catharinus , Escobar , Paulus Medici , & Horatius de Parma : Catharinus enim in hunc locum expresse dicit , Apostolum se tantùm privare voluisse ea beatitudine , quæ consistit in *visione intuitiva Dei* , puta , per essentiam. Escobar dicit , quòd Apostolus se privare voluerit ea beatitudine , quæ consistit in visione & communicatione circa humanitatem Christi. Paulus Medici dicit , quòd Apostolus se privare voluerit eâ gloriâ , quæ habetur per visionem Dei de facie ad faciem. Horatius de Parma dicit , quòd Apostolus se privare voluerit eâ gloriâ electorum , quam immediatè priùs præcedente c. 8. tantopere deprædicaverat , nempe quòd essent filii adoptivi & cohæredes Christi. Hæc omnia in idem recidunt , quòd D. Paulus ad majorem Dei gloriam libenter se spoliâsset *beatitudine supernaturali* naturæ humanæ *indebitâ* ; quin per hoc se abdicaret *beatitudine abstractivâ* , objectivè consistente in visione ac fruitione

Dei ſaltem abſtractiva, cujus naturalis appetitus in nullo unquam actu humano ita abdicari poteſt, quin ſaltem virtualiter & implicitè in ipſos actus benevolentiæ, ſic dictos ex motivo expreſsè importato, reipſa influat. At quamvis hæ omnes expoſitiones & Du-Hamelii, & Calmeti, & Cornelii &c. bonæ ſint, præfero tamen expoſitionem viri inter Eruditos Eximii P. Harduini Soc. Jeſu, qui hunc textum de miſeriis in hoc mundo à Paulo pro ſalute ſuæ Gentis Judaicæ perferendis explicat. Eam expoſitionem perficio atque adaugeo, ut dicam, quòd eas miſerias D. Paulus pro ſua gente ultrò in ſe receperit à Chriſto *ex pacto*: ſicut enim Filius æterni Patris ultrò ex pacto cum Patre inito ad liberam ſuam electionem *propoſitô gaudio* elegit *crucem confuſione contempta*, & *exinanivit ſemetipſum*, & *factus eſt maledictum & anathema* pro nobis, ut propitiaret peccata ſui populi; ita D. Paulus, in omnibus *imitator Chriſti*, agnovit vel per inſpirationem, vel per revelationem in illo raptu ad tertium cœlum, Deo acceptum fore, ſi & ipſe *ad ſalvos faciendos* è gente ſua plurimos ſeſe offerret ad perferendas in ſalutem ſuæ gentis extremas miſerias, ita ut eſſet

ab-

abominatio, *peripſema*, *carcinoma*, & *anathema* omnibus tam Judæis quàm Gentibus. D. Paulus itaque heroicô animo hanc ſibi oblatam ſpartam acceptavit & amplexus eſt. In hoc ſyſtema multi textus congruunt: nam inprimis, poſtquamPaulus in ſua converſione Chriſtum quæſierat: *Quid me vis facere?* Salvator per Ananiam reſponderat: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. Eventus etiam docuit, eum omnibus, Gentibus & Judæis, abominationem factum eſſe: quocunque enim ſe verterat, perſecutionem paſſus eſt. *Puto* (inquit) *quòd Deus nos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos. Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & maledicimur, & blasphemamur; tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema usque adhuc.* Quòd autem hæc omnia ſuſtinere voluerit ultrò pro ſuorum ſalute, ſéque interea à beatitudine differri maluerit, pluribus in locis indicat, *Omnia* (inquit 2. Tim. 2. v. 10.) *ſuſtineo pro electis, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti.* Et Coloſſ. 1. v. 24. & 25. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum*

num Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia: cujus factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut adimpleam verbum Dei. Item Philipp. c. 1. *Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum. Et quid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio; quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* Istud verbum, *scio*, supponit *notitiam* ex Deo vel per revelationem vel per inspirationem, & ea notitia supponit quendam tractatum cum Deo. *Prædiximus vobis, quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum & convivendum.* 2. Cor. 7. v. 3. Hæc omnia simul sumpta ostendunt, quòd votum D. Pauli ad hoc, ut pro salute suæ gentis fieret *abominatio*, *maledictum*, & *anathema* ac *peripsema* omnium, hujúsque suæ sortis *à Christo* oblatæ acceptatio sufficienter expleat emphasin verborum Apostoli: *Optabam esse anathema à Christo*; præsertim cùm in textu originali Græco adverbium ἀπὸ, in ipsa Scriptura sæpe habeat sensum causalem, ita

ut

ut ſenſus eſſe poſſit, *propter Chriſtum, cauſâ Chriſti, occaſionatum à Chriſto*, vel *ab ipſomet Chriſto* ex pacto *translatum inſe*: ſic enim, ubi Lucæ 19. v. 3. dicitur: *Zachæus non poterat videre Jeſum propter populum*, in Græco habetur: ἀπὸ ὄχλε. In aliis locis Scripturæ ea particula ſignificat cauſam moralem v. g. Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Plures ſenſus affert Stokius fol. 202. Sed jam tandem eruditam expoſitionem Harduini inſpiciamus. In Epiſt. ad Rom. ſic ſcribit: *Optabam*, *inquit Paulus. Sic Chriſtus ipſe Dominus noſter optavit fieri & reipſa factus eſt maledictum pro nobis, ſuſcipiens ultrò pœnas, quas peccatis noſtris promeriti ſumus, & ſic easdem à cervicibus noſtris avertens & nos ad meliorem demum frugem adducens hac mercede. Gal. 3. v. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Anathema eſſe à Chriſto. Ducta hæc locutio eſt ex ſacro ritu, qui deſcribitur Levit. 16. ubi Pontifex jubetur offerre hircum viventem, & poſita utraque manu ſuper caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta & peccata eorum, quæ imprecatus capiti ejus, emittet illum per hominem para-*

tum in deſertum. Super caput hirci pœnas totius populi peccatis debitas, imprecabatur ſummus Pontifex, Deum orans, ut exitium illius pro populi exitio admitteret, & quod eſſent ipſi commeriti, id omne in caput victimæ converteret. Mox per certum hominem abducebatur hircus in deſertum, luiturus ibi omnium pœnas, quaſi publicum κάθαρμα, piaculum & anathema, inquit Tirinus, à fera primùm obvia dilaniandus. Ad hujusce ritûs ſimilitudinem Paulus optabat, ut Chriſtus ipſe Dominus noſter, qui nobis factus eſt Pontifex, peccatorum, quæ Iſraelitæ admiſiſſent, in caput ſuum pœnam transferret, & ſic iram Dei à fratribus ſuis averteret, adductîs illîs ad fidem & amorem Chriſti. Optabat ſe tractari à Chriſto, ſummo in cœlis Pontifice noſtro, eodémque Deo vindice ſcelerum inſtar piacularis hoſtiæ ad expianda fratrum ſuorum peccata, & ad impetrandam eorum converſionem ad Chriſtum. Hoc eſt enim anathema, piaculum ſcilicet, ſive piacularis hoſtia, quæ vel deletur omnino, vel ex hominibus eiicitur ad placandum Deum. Sic Joſue 6. v. 17. vox ea accipitur: Sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt, Domino. Ea locutio, à Chriſto, actio-

nem

nem Christi significat, qui anathematizat; ùt illa è contrario. Benedicti vos à Domino. Nec Anathema esse ab aliquo ostendi vel exemplo ullo, vel ulla ratione potest idem esse ac separari ab aliquo. Anathema esse à Christo volunt Sociniani idem esse, atque exitio ac damnationi æternæ devoveri, quod cùm fieri non possit à Christo adversùs hominem φιλόχριστον (amatorem Christi) *& sciret Paulus, fieri non posse, dicunt, id illum optâsse, quod fieri non posse noverat; vel Optarem significare, se optaturum esse, si fieri possit, ut suæ ipsius salutis æternæ jacturâ fratrum suorum salutem redimeret. Hæc Slichtingii è Socinianorum Coryphæis interpretatio est. Nec aliter Crellius, ubi græca sic verba exponit:* Ἠυχόμην, *subauditâ particulâ ἂν, vim habet optativi, optarem, vel optârim. Neque enim id optare simpliciter & absolutè poterat Paulus, cùm eam rem ex Dei decreto sciret impossibilem; sed optaturus fuisset reipsa, si fuisset possibilis. Quare post verbum, Optârim, subaudiendum, si fieri id posset. Exprimit his verbis Apostolus, quantum dolorem rejectio Judæorum illi inurebat, iisque probat ac demonstrat, immensum dolorem se se ex ea re percipere, quandoquidem eam*

ſumma felicitatis jactura redemptam vellet. Hæc ſumma hujus reſponſionis eſt. Habet græcus Codex ἠυχόμην *, quod Geneven-ſes per optativi modi tempus præſens vertunt. Car je deſerois moy-méme d' eſtre ſeparé de Chriſt. Montenſes* (Quesnelliſtæ) *per præteritum. Car j'euſſe deſiré de devenir moy-méme anatheme & d' eſtre ſeparé de Jeſus-Chriſt. Calvinus autem: Optârim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Et in Notis: Quid eſt autem à Chriſto ſegregari, niſi excludi ab omni ſalutis exſpectatione? Ardentiſſimæ ergo dilectionis fuit documentum, quòd non dubitaret Paulus ſibi damnationem imprecari, quam videbat Judæis impendere, quò eos liberaret. Itaque juxta Calvinum Apoſtolus id optavit, quòd Judæis profectò prodeſſe non potuit: neque enim cujusquam damnatio prodeſſe alteri poteſt ad ſalutem.* Hucusque Harduinus. Ex quibus conſtat, hunc eſſe amorem verum Apoſtolicum zelantium pro Chriſto; ſi quis animô heroicô ſeſe offerat Chriſto, ad acceptandas omnes miſerias mundi, ad perſecutiones, ad calumnias, ad pugnas intus & foris,

ad

ad majorem Dei gloriam conſtanter usque ad mortem perferendas. Hoc eſt pactum animarum grandium & ſanctarum cum Deo. Nullô piis opus eſt votô *Socinianô*, *Calvinianô*, & *Montano-Queſnellianô*, aut *Janſenianô*.

Quintò. Affectus D. Ignatii adeò non eſt ad rem, ut etiam apertè contradicat amori non intereſſato P. Virgilii: dilatio enim beatitudinis manifeſtè includit deſiderium beatitudinis. Scriptura dicit: *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Proverb. 13. v. 12. Haud dubiè ob magnitudinem deſiderii erga bonum, quod ſperatur. Incertitudo ſalutis ſe tenens ex parte humani arbitrii verſatilis non tollit rationem ſpei & deſiderii: ſpes enim, quæ eſt ſecura exſpectatio futuræ beatitudinis, non dicitur ſecura, quà reſpicit cooperationem ultroneam hominis, ſed quà reſpicit infallibilitatem promiſſionum divinarum. Dein ſi actus perfectæ charitatis conſiſtit in amore penitus deſintereſſato, cur D. Ignatius ſolùm præ oculis habuit dilationem ſalutis, & non omnimodam puritatem amoris? An illius amor intereſſatus ex ſuo genere imperfectior erat eo, quem nunc exercent pueri & puellæ per affectum, ùt prætenditur, Xaverianum? An perfe-

ctius 15.

ctius genus amoris S. P. Ignatius vel ignoravit, vel neglexit? Absint hæ blasphemiæ in sanctum, & sentiatur à cordibus piorum, affectum Ignatianum, quem Ecclesia in Breviario Romano fidelibus imitandum proposuit, non obstante implicito desiderio beatitudinis, exprimere actum quendam elicitum perfectæ charitatis. Certè, ut Dominicus Soto in Epist. ad Rom. fatetur, plerique Expositores hunc ipsissimum affectum amoris D. Paulo tribuunt. *Interrogas* (inquit) *si elongari à gloria Dei nequit homo nisi per culpam, quomodo id Paulus optare poterat? Ad hanc interrogationem plerique respondent, non nisi temporariam separationem seu remorationem à gloria Paulum optâsse pro fratribus juxta illud Phil.* 1. *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos. Neque verò, si hanc receperis expositionem, exigua tibi videatur emphasis* (in amore) *Pauli.* Ita Dominicus Soto, licèt etiam ipse accedat eorum sententiæ, qui putant, Paulum spoliare se voluisse beatitudine cælesti.

16. Sextò. Affectus *Xaverianus* in lingua Lusitanica, in qua ab initio conscriptus

est,

eſt, nil aliud oſtendit, quàm Deum non amari ob gloriam accidentalem, quæ eſt in cælo: ſic enim Deus amaretur non ratione ſuî, ſed ratione alterius boni creati, diſtincti à Deo. Idem & nos dicimus conſtanter aſſerendô, Deum ratione ſuî tanquam ſummum bonum amandum & deſiderandum eſſe, etiamſi nec cælum foret nec infernus: Deus enim ſolus, ùt intuitivè per ſuammet eſſentiam viſus, eſt noſtra beatitudo eſſentialis ac ſupernaturalis; ex quo manifeſtum eſt, cùm ipſemet per ſe ipſum ad noſtram beatitudinem ſufficiat, eum nec amandum nec deſiderandum eſſe in ordine ad aliud bonum creatum conſequendum tanquam finem ultimum. Sic enim Deo potius *uteremur* tanquam mediô, quàm *frueremur* tanquam fine. Hoc genus amoris Xaveriani elegantiſſimè explicat D. Auguſtinus in Pſal. 72. ubi ſic ſcribit: *Ecce, quomodo* (David) *Deum amavit: Deus cordis mei, & pars mea Deus in ſæcula. Gratis jam amatur Deus; non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea ſervire vult Deo, carius facit, quod vult accipere, quàm ipſum, à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipſum. Præmium Dei ipſe Deus eſt; hunc amat, hunc diligit; qui aliud*

amat,

amat, non est castus amor. Quis est castus amor? Amat jam anima sponsum suum. Quid ab illo quærit, à sponso suo quem diligit? fortè, quomodo diligunt homines, divitias & aurum ejus amat? & fundos, & argentum, & equos, & familiam, & cætera? Absit. Iste ipsum solum amat, gratis amat; quia in ipso habet omnia. Mihi adhærere Deo bonum, hoc est totum bonum. Quid vultis amplius? Deo adhærere nihil est melius, quando eum videbimus facie ad faciem. Ama Deum gratis: rapite eum, quotquot potestis, quotquot possessuri estis. Idem in Psal. 55. *Amemus Deum purè & castè. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? mercedem de Dei cultu non habemus? Habemus planè; sed ipsum Deum: ipse nobis merces erit; quia videbimus eum, sicuti est. Si amas, inquietum habes cor desiderio ejus. Noli extra eum aliquid ab eo quærere, ipse tibi sufficit. Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligamus.* Idem Serm. 35. ex ined. *Quidquid mihi dederis præter te, vile est: tu esto hæreditas mea; amo te; totus amo te; toto corde, tota anima mea, tota mente amo te. Quid erit mihi, quidquid dederis præter te? Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo propio-*

re impleri, de ipso satiari: ipse enim sufficit tibi. Idem L. 1. De Mor. Eccles. c. 11. *Si propter pœnas times Deum, non amas, quem sic times. Cùm bona desiderare cæperis, erit in te timor castus: Quis timor castus? Intendite. Aliud est timere Deum, ne te mittat in gehennam; aliud est timere Deum, ne recedat à te. Ille timor non est castus: non enim venit ex amore Dei. Cùm autem times Deum, ne te deserat præsentia ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras.* Idem in Psal. 118. *Absit, ut timore pereat amor, ubi castus est timor. Sic patres à filiis & timentur & amantur. Sic pudica conjux virum & timet ne ab illo deseratur, & amat ut fruatur. Si ergo & pater & conjux timeri & amari debet; multo magis Pater noster, qui est in cælis, & ipse sponsus.* Idem in Psal. 127. *Si Deus propria voce loqueretur nobis, & diceret: Peccare vis? pecca. fac, quidquid te delectat: quidquid amaveris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat: quem cædere volueris, cædatur: quem damnare, damnetur: abundent tibi omnia terrena ista, quæ concupiisti, & vive in illis non usque ad tempus, sed semper: faciem tamen meam nunquam videbis. Fleret & gemeret castus timor (amor) & diceret;*

Imm-

Immo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor caſtus exclamaret & diceret: Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Idem L. quæſtionum 83. q. 35. *Nihil aliud eſt amare, quàm propter ſe ipſam rem aliquam appetere: namque cor appetitus quidam eſt.* Ita S. Auguſtinus. In hoc ergo ſenſu intelligi poteſt Hymnus Xaverianus, ita ut D. Xaverius non ſolùm terrena ſed etiam cœleſtia bona creata tranſcendens dicat: *Tollantur in mea conſideratione iſta omnia, infernus & cœlum; tu ô Deus meus & omnia ſufficis ſolus mihi, amo te propter te ſolum; quia Deus meus es, hoc eſt, bonum in te, & bonum pro me, bonum tuum, bonum commune & meum, ſummum & unicum.* Quòd autem Hymnus Xaverianus patiatur hanc expoſitionem, ac conſequenter, in dubio non poſſit exinde pro amore deſintereſſato erui argumentum *liquidum*, oſtenditur ex alia verſione ejusdem Hymni, quæ exſtat apud *Wigandt* in Append. 1. ejus *Theologiæ Moralis* novæ editionis Tract. 17. Exam. 4. n. 6. Ea enim verſio ex Hiſpanico ſic habet: *Non movet me, ô Deus, ad diligendum te cœlum, quod mihi promiſiſti, neque infernus adeò metuendus, quò minùs offendam te.* In hoc igitur ſenſu, ſtropha vulgaris

ob arctitudinem metri minùs peritè in latino ab Interprete reddita, intelligenda est, ita ut sensus iste sit: *O Deus! ego amo te; nec amo te, ut in cœlo* (materiali per collationem gloriæ accidentalis) *salves me; aut quia non amantes te æterno punis igne. Tu tu, mi Jesu! totum me amplexus es in cruce--. Cur igitur non amem te, ô Jesu amantissime! non ut in cœlo* (conferendô gloriam accidentalem) *salves me, aut ne æternùm damnes me, nec præmii ullius* (creati, à te distincti) *spe* &c. Posset etiam explicari in sensu, quo Cornelius à Lapide superiùs explicavit votum Moysis & D. Pauli. Cæterùm quòd D. Xaverius habuerit ardentissimum desiderium visionis beatificæ, patet ex alio ejus affectu, quem refero *Animadv.* 95.

Septimò. Actum B. Jacoboni, qui optavit tradi æternis inferni pœnis, ut inde damnati liberentur, referendum esse ad piam affectionem viri amore ebrii, reipsa non conformem rationi, patet ex Harduino proximè relato. Hic enim ostendit, eum modum tendendi tribui D. Paulo à *Socinianis* & *Calvinistis*, & aliis *hæreticis*. Quamvis enim cum ipsis pœnis inferni componi posset ad tempus fruitio & visio intuitiva Dei, sicut actu 17.

conjuncta fuit cum acerrimis tormentis Chriſti in Cruce, neque in ea ſimultate detur repugnantia intrinſeca; repugnat tamen juſtitiæ, bonitati & ſapientiæ divinæ, ut amicum ſuum præcisè in aliorum bonum in iis ſuppliciis æternùm relinqueret. Itaque B. Jacobonus amore divino ebrius ſtatum rei, an eſſet poſſibilis vel impoſſibilis, & num per hoc tollatur ipſe Deus, non exactè conſideravit.

18. Octavò. Actus illos, ſi ſermo ſit de deſtructione per mortem corporalem, aut de gloria accidentali, dico bonos eſſe, & meritorios in genere perfectæ charitatis. Si verò ſermo ſit de omnimoda annihilatione, aut gloria eſſentiali tam naturali quàm ſupernaturali, ſunt actus *meræ benevolentiæ affectivè talis*, in quibus explicitè importatur ſolum motivum benevolentiæ. Tales ergo actus, ut centies repetam, ſunt quidem boni, ſed in genere benevolentiæ, non in genere charitatis, quæ eſt formaliter amor amicitiæ, eſſentialiter unitivæ. Manifeſtum autem eſt, quòd ea tendentia ejusmodi actuum à ſuo formali conceptu ſeu ratione formali excludat rationem unitivam amicitiæ.

Nonô.

Nonò. Velle ſeparari à beatifica frui- 19.
tione intrinſecè ſupernaturali v.g. à frui-
tione Chriſti ad promovendam majorem
Dei gloriam, reſervatô tamen ſibi appe-
titu, deſideriô ac jure in ordinatione di-
vina fundatô ad beatitudinem, fruitio-
nem, & amicitiam Dei abſtractivam, non
eſt actus malus, nec impoſſibilis, ſed
optimus & heroicus; prout etiam Au-
thores graves, Catharinus, Corne-
lius à Lapide, & alii ab iis relati, de
Moyſe, & B. Paulo ita fuiſſe intelligen-
dos Scripturæ textus exiſtimant. Sed
hoc nihil ſervit P. Virgilio & Patronis
amoris deſintereſſati; quia in tali actu
non excluditur appetitus propriæ bea-
titudinis, ſed tantùm in divinæ gloriæ
majus augmentum ceditur Deo *ſpecies*
beatitudinis, nempe beatitudo ſuperna-
turalis, conſiſtens in viſione Dei intuiti-
va per eſſentiam, & adoptione in filium,
& in conſortio hæreditatis cum Chriſto.
Hæc ceſſio explicita, licèt implicitè con-
tineatur in omni actu charitatis, eſt actus
bonus, & pertinens ad genus perfectæ
charitatis; homo enim in omni ſtatu vî
amicitiæ cum Deo initæ tenetur præfer-
re commoda divinæ gloriæ commodis
propriis, naturæ humanæ indebitis, ubi
id exegerit neceſſitas & ordo charitatis

à Deo ſapienter intendibilis aut præſtabilitus. Ex his omnibus patet, P. Virgilium pro ſuo amore puro deſintereſſato non ſolùm nulla attuliſſe *argumenta*, ùt prætendit, *liquida*, ſed nec probabilia.

20. Hallucinatio 20. *Ex eo, quòd homo habeat inclinationem naturalem ad propriam beatitudinem, authorIdeæ nil evincit; quia ille appetitus eſt neceſſarius. Hîc autem quæſtio eſt de appetitu beatitudinis libero, an poſſit excludi in actu charitatis?* f. 12. n. 15.

Animadverſio. Argumentum meum, verè demonſtrativum ex conſenſu omnium Philoſophorum, Patrum, & Theologorum non conſiſtebat in hoc, quòd in homine detur appetitus naturalis *neceſſarius* ad propriam beatitudinem; ſed conſiſtebat in eo, quòd ille appetitus propriæ beatitudinis in omnes actus humanos influat, quòd ad omnes actus humanos moveat, & quòd ex appetitu illo oriantur omnes actus humani, ita ut in actionibus homini non relinquatur libertas ad *genus beatitudinis*, ſed tantùm ad *ſpeciem beatitudinis*, utrùm videlicet eam collocare velit in Deo, vel in creatura? & utrùm actionem ſuam referre velit ad beatitudinem veram, quæ objectivè conſiſtit

sistit in solo Deo, aut fallsam? Id enim sæpè contingit, quòd homo propositô objectô v. g. verô, necessitetur ad exercitium & *genus actionis*, quin necessitetur ad *speciem actionis*. Hîc itaque Rhodus, hìc saltus est, an in ulla actione humana ita excludi possit desiderium & appetitus ad *omnes species beatitudinis*, hoc est, ad *totum genus beatitudinis*, ut dum in eodem actu appetitus actualis ad *genus* beatitudinis est necessarius, *specificatio* libera actûs, seu appetitus liber, ne quidem *implicitè* aut *virtualiter* feratur ad ullam speciem beatitudinis? Qui legerit textus D. Thomæ à me relatos, aut legerit primas viginti quæstiones in *Prima secundæ* D. Thomæ, videbit, hanc oppositionem positivam ac contrarietatem appetitûs liberi ad *speciem*, & appetitûs necessarii ad *genus beatitudinis*, in omni actu libero saltem *virtualiter* imbibiti, quam P. Virgilius somniat, esse meram chymæram. D. Thomas 1. 2. q. 10. a. 2. c. sic scribit: *Voluntas naturaliter tendit in suum finem ultimum: omnis enim homo vult naturaliter beatitudinem, & ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates; cùm quidquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis;*

dilectio autem ab hac derivata, quæ est boni, quod diligitur propter finem, est dilectio electiva. Et 1. 2. q. 9. a. 3. c. *Voluntas per hoc, quòd vult finem, movet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem, ut scilicet ea actu velit.* Et ad 1. *Voluntas, in quantum actu vult finem, reducit se de potentia ad actum respectu eorum, quæ sunt ad finem, ut scilicet ea actu velit.* Et 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. *Virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuslibet rei.* Ex his manifestum est, quòd juxta D. Thomam in quolibet actu humano reperiatur saltem *virtualiter* appetitus propriæ beatitudinis.

21. Hallucinatio 21. & 22. *D. Thomas*
22. *ait: Ex charitate magis debet homo diligere Deum, quàm se ipsum. Ergo actus, quo quis vult separari à Dei fruitione propter ipsum Deum, est optimè ordinata charitas.* f. 13, n. 15.

Animadversio. Hôc locô P. Virgilius dupliciter errat: nam Primò non rectè explicat illum modum loquendi, quòd homo debeat amare Deum plusquam se. Secundò eam siniſtram explicationem etiam D. Thomæ tribuit. At verò hoc totum argumentum ad men-

tem D. Thomæ unica distinctione dissolvo. Homo tenetur magis diligere Deum *majoritate appretiativa*. Concedo. *majoritate divisiva*. Nego. Angelicus constanter docet, quòd in actu charitatis *indivisibiliter*, & *inseparabiliter* reperiantur duo diligibilia, nempe *Deus* & *homo*, quæ duo objecta in actu charitatis considerantur diversimodè; Deus ùt *finis qui*, homo ùt *finis cui*; Deus ùt bonitatem *communicans*, homo ùt eam *recipiens*; Deus ùt *perficiens*, homo ùt *perfectibilis*; Deus ùt *beatificans* per suammet essentiam, homo ùt *beatificandus*. Et similiter ex opposito per actum charitatis considerantur indivisibiliter & inseparabiliter duo mala, nempe *malum culpæ seu offensæ* divinæ, & *malum pœnæ*, nempe privatio visionis beatificæ & pœna æterna inferni; unum horum consideratur ut malum Dei, alterum ut malum hominis. Docet ergo, quòd in illo binario duorum diligibilium inseparabilium Deus tanquam *finis qui*, tanquam *perficiens*, & tanquam *beatificans* debeat magis appretiari, appretiatione speculativa; & hoc ait intelligi, quando dicitur, quòd homo debeat magis diligere Deum, quàm se ipsum; non autem, quòd homo teneatur magis diligere Deum majoritate

diviſiva, ita ut practicè teneatur velle ſeparari à Deo æternùm ad majorem ejus gloriam. Hanc majoritatem appretiativam explicat S. Doctor per amorem partis ad totum, ubi licèt pars inſeparabilis à toto v. g. cor, aut cerebrum diligat ſe & totum uno eodémque amore, ſe tamen ordinat ad totum, tanquam aliquid dignius, & totum amat relatè ad ſe. Hanc eſſe mentem D. Thomæ, totaliter excluſivam amoris deſintereſſati in amore charitatis, ſeu amore amicitiæ unitivo ad Deum, patet ex ſequentibus ejus textibus. Primò. p. 1. Q. 60. a. 5. ad 4. *Dicendum* (inquit) *quòd Deus, ſecundùm quod eſt univerſale bonum, à quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab unoquoque: in quantum verò eſt bonum beatificans naturaliter omnes ſupernaturali beatitudine, ſic diligitur dilectione charitatis.* Secundò. 2. 2. Q. 26. a. 2. c. *Dicendum, quòd unaquæque amicitia reſpicit principaliter id, in quo principaliter invenitur illud bonum, ſuper cujus communicatione fundatur: amicitia autem charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, quæ conſiſtit in Deo principaliter ſicut in primo principio, à quo derivatur in omnes, qui ſunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter maximè Deus eſt ex charitate diligendus.*

Ipſe

Ipſe enim diligitur ut beatitudinis cauſa; proximus autem ſicut beatitudinem ab eo ſimul nobiscum participans. Tertiò. 2.2.Q.23.a.1. *Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, ſed amor cum benevolentia; quando ſcilicet ſic amamus aliquem, ut ei bonum velimus: ſed nec benevolentia ſufficit ad rationem amicitiæ; ſed requiritur quædam mutua amatio: talis autem mutua benevolentia fundatur ſuper aliquam communicationem. Cùm ergo ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundùm quod nobis ſuam beatitudinem cõmunicat, ſuper hanc cõmunicationem oportet aliquam amicitiam fundari: amor autem ſuper hanc cõmunicationem fundatus eſt charitas.* Ibidem. a.4. c. *Donum divinum, in quantum eſt beatitudinis objectum, habet ſpecialem rationem boni. Et ideo amor charitatis, qui eſt amor hujus boni, eſt ſpecialis amor.* Quartò. 2.2.Q.25.a. 12. c. *Amicitia charitatis ſuper cõmunicatione beatitudinis fundatur, in qua communicatione unum eſt, quod conſideratur ut principium influens beatitudinem, ſcilicet Deus: Aliud eſt beatitudinem directè participans, ſcilicet homo & Angelus. Id quod eſt beatitudinem influens, eſt ea ratione diligibile; quia eſt beatitudinis cauſa. Id autem, quod eſt beatitudinem participans, poteſt eſſe duplici ratione dili-*

gibile ; vel quia est unum nobiscum, vel quia est nobis consociatum in beatitudinis participatione. Et secundùm hoc sumuntur duo ex charitate diligibilia, prout scilicet homo diligit se ipsum & proximum.

Ex his manifestum est, quòd D. Thomas, dum asserit ab homine magis diligendum esse Deum, quàm se ipsum, nil aliud intelligat, quàm appretiationem majorem, qua homo magis appretiat Deum ùt causam suæ beatificationis. Idem colligitur ex opposito, dum circa malum culpæ, & pænæ æternæ solùm docet, *displicentiam* prioris debere esse majorem ; fugam autem practicam æqualem. In 4. dist. 17. Q. 2. a. 3. qq. 1. ad 4. sic scribit : *Quantitas displicentiæ de re aliqua debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius. Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo, qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet plus Deum, quàm se diligere, ideo plus debet odisse culpam, in quantum est offensa Dei, quàm in quantum est nociva sibi. Est autem nociva sibi principaliter, in quantum separat ipsum à Deo, & ex hac parte ipsa separatio à Deo, quæ pæna quædam est, magis debet displicere, quàm ipsa culpa, in quantum hoc nocumentum inducit. Est*

etiam

etiam considerandum, quòd quædam pœnæ inseparabiliter habent conjunctam Dei offensam, sicut separatio à Deo. Quædam etiam addunt perpetuitatem, sicut pœna inferni. Pœna ergo illa, quæ offensam annexam habet, eodem modo NB. vitanda est, sicut est culpa; sed illa, quæ perpetuitatem addit, est magis quàm culpa simpliciter fugienda. Si tamen ab eis separetur ratio offensæ, & consideretur ratio pœnæ, minus habet de malitia, quàm culpa, inquantum est offensa Dei, & propter hoc minus debet displicere. In hoc textu notabili duo merentur notari. Primò, quòd *pœna inferni perpetua, quæ annexam habet offensam*, & separationem à Deo, magis vitanda & fugienda sit, quàm ipsa culpa, quin propterea homo teneatur, aut licitè possit elicere hunc actum conditionatum: *Si mihi necessariò alterutrum eligendum esset vel culpa mortalis, vel pœna æterna inferni conjuncta cum futura offensa & blasphemia Dei in inferno; potiùs eligerem culpam mortalem transeuntem, quàm pœnam æternam inferni.* Secundò, quòd pœna inferni, in quantum ab ea per intellectum speculativè separatur ratio offensæ, appretiatione speculativa debeat *magis displicere*, quàm culpa. Non dicit S. Doctor, quòd debeat magis vitari, aut *magis fugi* positâ aliquâ hypo-

hypothesî : ſicut etiam ſeparatio à Deo, licèt magis debeat homini diſplicere *in ratione nocivi*, quàm culpa, non propterea ex mente D. Thomæ in caſu, quo ſepararetur ratio offenſæ, practicè ſub ratione nocivi eſſet minùs eligibilis quàm culpa. Ex his ergo manifeſtum eſt, in ea propoſitione, quòd homo plus teneatur diligere Deum, quàm ſe ipſum, non importari diviſionem & ſeparationem quoad modum tendendi conditionatum practicam inter Deum & hominem, ſed tantùm appretiationem majorem Dei in ipſa unione ad Deum. Sic etiam juxta D. Thomam P. 1. Q. 60. a. 5. ad 1. *unaquæque pars naturaliter diligit totum plus quàm ſe*; & tamen hoc non obſtante idem S. Doctor 2. 2. Q. 26. a. 3. c. dicit, quòd *pars diligat totum, in quantum eſt ſibi conveniens.* Itaque etiam non repugnat, quin homo magis diligat Deum, quàm ſe, etiamſi illum diligat, ùt beatificantem ſe.

23. Hallucinatio. 23. *D. Chryſoſtomus dicit, quòd D. Paulus voluerit ſeparari à fruitione Chriſti, & quòd hic actus fuerit ſummæ dilectionis. Ergo perfectus actus charitatis poteſt eſſe amor purus, non intereſſatus.* f. 13. n. 16.

Animadverſio. P. Virgilius hôc locô adducit quidem ex mea *Idea Amoris* tex-

textum D. Chryſoſtomi, quem mihimet ipſi objeci ; ſed non adducit ſolutionem, quam ibidem attuli. Oſtendi enim ex variis aliis S. Doctoris textibus, & ex contextu, quòd D. Paulus ſolùm ſe obtulerit ad ſacrificandam gloriam ſupernaturalem ſolùm accidentalem, quæ habetur ex conſortio Beatorum regnantium cum Chriſto ; nunquam autem ſomniabat de abdicando appetitu beatitudinis, quæ habetur ex amicitia cum Deo. Hanc verò eſſe mentem D. Chryſoſtomi patet ex ipſo textu ; in quo expreſsè proteſtatur, quòd Apoſtolus in ſuo illo actu heroico non excluſerit deſiderium unionis cum Chriſto. *Quid ais, O Paule? visne anathema eſſe ab illo Chriſto, qui à te tantopere deſideratur, ut nec regnum, nec gehenna te ſeparare queat? Quid accidit? Num deſiderium illud excuſſiſti, ac depoſuiſti? Haudquaquam, inquit, ne vereare ; nam illud deſiderium intendi magis. Quî igitur fit, ut præceris anathema eſſe à Chriſto? Primùm intelligamus, quid ſit anathema. Quid igitur eſt anathema? Audi ipſum loquentem. Si quis non amat Dominum Jeſum, anathema ſit*, hoc eſt, *ab omnium commercio ſegregetur. -- Quia igitur Paulus videbat, gentem ſuam à bonis omnibus*

nibus (Abrahæ, & ſemini ejus promiſſis) *excidiſſe; propterea diſcrucior, inquit, & ſi poſſem ſeparari ab illo choro, qui Chriſtum circumſtat* (περὶ τὸν χρίσον χορὸν) *& ſegregari; non ab amore Chriſti* (ἀγάπης αὐτῦ reciprôco ergà me) *hoc enim abſit, ſed à fruitione illa* (Beatorum) *& gloria excommunicari ſuſtinuerim, & à regno, & à gloria ineffabili facilè exciderim, omniáque gravia ſuſtinerem, ſummam conſolationem* (μεγίσην παραμυθίαν) *exiſtimans, ſi non audiam Chriſtum blasphemari, quem tantopere deſidero* (ὅτω ποθῶμενον) Hic eſt textus D. Chryſoſtomi; ex quo manifeſtum eſt, quòd D. Paulus deſiderium Chriſti nunquam depoſuerit, ſed præcisè ſacrificare voluiſſet gloriam accidentalem, quæ habetur ex conſortio Beatorum conregnantium cum Chriſto, idque fortè ſolùm uſque ad finem mundi, vel aliud tempus dilationis arbitrariè conſtituendum à Deo. Nihil proin erui ex textu D. Chryſoſtomi poteſt pro actu charitatis perfectæ deſintereſſato, in cujus formalitate ne quidem virtualiter, ac implicitè includatur deſiderium ſummi boni, & beatitudinis propriæ, vel intuitivæ per eſſentiam, vel abſtractivæ per ſpeciem.

Hallu-

Hallucinatio 24. *Timeat Author Ideæ de nota temeritatis, quòd communem Doctorum sensum in materia primarii præcepti vocet falsam persuasionem.* f. 14. N. 17. 24.

Animadversio. Verum quidem est, quòd sententia P. Virgilii in primis foliis ejus libelli vocetur *communis hactenus, & recepta inter Germaniæ Doctores sententia;* sed nolim ego Doctoribus Germaniæ irrogare injuriam. In Titulo, & Præfatione mei opusculi solùm dixi, quòd sit *vulgata persuasio, & hallucinatio plurimorum.* Quòd autem sententia P. Virgilii sit *falsa* persuasio, patet ex Rescripto S. Congreationis ad P. Lienhardium, quo illa propositio ex ejus libro expungi jussa est: *quòd Doctores supponant, quòd omnis amor perfectæ charitatis sit amor purus, seu non interessatus.* Nam quamvis P. Virgilius ad decipiendos incautos Lectores in actu charitatis perfectæ etiam compossibile admittat desiderium beatitudinis propriæ; id tamen solùm admittit per *concomitantiam*, sicut à multis Philosophis in eodem realiter actu admittitur compossibilitas *scientiæ, fidei*, & *opinionis*; ita tamen, ut formalitas, seu formalis conceptus unius nunquam ingrediatur formalitatem, aut con-

conceptum formalem alterius. Parî ergò modô P. Virgilius desiderium propriæ beatitudinis à formalitate, seu formali conceptu perfectæ charitatis perpetuò, & essentialiter excludit. Hoc est, quod voco *vulgatam*, *& falsam persuasionem*, & hæc est illa suppositio, quæ ex libro P. Lienhardii à S. Congregatione in terminis convertibilibus expungi jussa est. Non igitur ego sum temerarius, sed ille est temerarius, qui nec expectatâ declaratione S. Congregationis, nec postulatâ mente sui Ordinarii, nec præmissô mecum congressu, ad quem ipsum, P. Virgilium, è sua tribûs solùm horîs dissita parochia invitaveram, festinatò, ac præproperô libellô in publicum prorumpit.

25. Hallucinatio 25. *Author Idea docet, quòd amor Dei in Scriptura præceptus consistat in amore amicitiæ mixto ex amore concupiscentiæ puro, quo volumus Deum tanquam nostrum summum bonum.* f. 15. N. 18.

Animadversio. Truncat, & in essentialibus corrumpit textum P. Virgilius. Ego non scripsi, eum amorem concupiscentiæ esse *purum*, quo volumus Deum *tanquam nostrum summum bonum*

bonum, ſed quo *præ omnibus bonis creatis*, haud dubiè efficaciter, & practicè volumus ſummum bonum, quod fieri nequit ſine amore amicitiæ, quo volumus non ſolùm ſpeculativè omnia bona intrinſeca, prout volunt *Complimentiſtæ deſintereſſati amoris*, ſed etiam practicè omnia bona intrinſeca, promovendô ejus gloriam extrinſecam pro viribus per actus eſſentiales amicitiæ vî aliorum mandatorum indebitos. En verba mei textûs: *Amor Dei in Scriptura præceptus eſſentialiter conſiſtit in amore amicitiæ, mixto ex amore concupiſcentiæ puro, quo volumus præ omnibus bonis creatis Deum tanquam ſummum noſtrum bonum, & ex amore benevolentiæ, quo viciſſim volumus Deo omnia bona non ſolùm intrinſeca per affectum purè ſpeculativum, ſed potiſſimùm extrinſeca, putà cultum, & amorem procurandum Deo per actus eſſentiales amoris practicos, ſeu per ſtudium bonorum operum, cujusvis ſtatui congruum.* Ita textus, quem truncavit, & corrupit P. Virgilius.

Hallucinatio 26. *Quòd amor in Scriptura præceptus eſſentialiter conſiſtat in amore mixto ex benevolentia, & concupiſcentia, non tenent communiter Doctores; immo auſim dicere, quòd nemini* 26.

Theologorum hucusque ante Authorem Ideæ inciderit, his terminis uti. f. 15. N. 19.

Animadversio. Dum P. Virgilius asseverare audet, nulli Theologorum hucusque ante *Authorem Ideæ* incidisse, quòd amor in Scriptura præceptus essentialiter consistat in amore mixto ex benevolentia, & concupiscentia, monstrat, quàm curta illi domi Authorum supellex sit. Docet id inprimis SS. D. N. Benedictus XIV. in textu adducto *Animadv.* 2. Dein, ut ex innumeris Authoribus sumam unicum, eligo P. Maurum Soc. JEsu, qui in sua Theologia l. 7. quæst. 162. sic scribit: *Quandoquidem charitas est habitus amandi Deum amore amicitiæ, habitus autem explicandus per actus, explicandum est, qualis sit actus, quo homo perfectè diligit Deum amore amicitiæ in ordine ad supernaturalem participationem vitæ æternæ. Primò igitur actus charitatis est amor benevolentiæ erga Deum, non autem est amor NB. solius concupiscentiæ. Secundò. Amor charitatis est amor non solius benevolentiæ, sed amicitiæ. Tertio. Amor charitatis ordinatur ad convivendum, & communicandum cum Deo in vita æterna, & supernaturali. Sed communicatio in vita æter-*

æterna, & ſupernaturali conſiſtit in hoc, ut ſicut Deus immediatè ſe ipſum videt, & ſe ipſo immediatè fruitur, ſic nos Deum immediatè videamus, ac Deô immediatè fruamur. Ergo amor charitatis ordinatur ad communicationem, per quam immediatè Deum cognoſcamus, eóque immediatè fruamur. Ex dictis concludi poteſt, quid ſit perfectus amor charitatis? Dicendum, quòd ſit redamatio efficax Dei ùt amici in ordine ad communicationem vitæ æternæ. Infertur, quodnam ſit objectum formale charitatis? Dicendum, quòd objectum formale charitatis eſt ſumma bonitas, in quantum per illam Deus eſt infinitè bonus, & perfectus in ſe, bonitate etiam amicabili. Similia habet Tannerus de charit. Diſp. 2. q. 4. dub. 1. His Theologis recentioribus addo ex antiquioribus D. Bonaventuram, qui in 2. diſt. 27. a. 2. q. 2. ſic ſcribit: *Quidam voluerunt dicere, quòd amor mercenarius, qui principaliter reſpicit ad eam mercedem æternam, de qua dicitur: Ego ero merces tua magna nimis, non eſt à charitate, ſed potiùs ab affectu naturæ charitatem concomitante. Amor enim charitatis, ùt dicunt, cùm ſit amor gratuitus, non intuetur præmium. Aliis autem videtur, quòd talis*

affectus possit esse à charitate. Ad affectum enim charitatis non tantùm spectat amare Deum amore amicitiæ, sed etiam amore concupiscentiæ. Frui enim est amore inhærere; & constat, quòd frui Deo est per charitatem. Et ideo voluerunt isti dicere, & satis probabiliter, quòd motus charitatis possit esse mercenarius, secundùm quod constituit mercedem suam circa bonum increatum. Si hanc positionem velimus sustinere tanquam probabilem, satis faciliter dissolvuntur rationes oppositæ. Ita D. Bonaventura, qui dissolvendô objectiones oppositas, & acquiescendô ostendit, se huic sententiæ accedere. Idem in terminis docet S. Thomas inferiùs *Animadv.* 79. referendus.

27. Hallucinatio 27. *Author Ideæ vocat sententiam sibi oppositam communem sub terminis vulgatæ falsæ persuasionis. Ergo inconsequenter loquitur suam sententiam vocandô communem.* f. 15. N. 19.

Animadversio. In primis *vulgata persuasio* non est idem, ac *communis sententia*; hæc enim ad Doctores non ignobiles pertinet; illa ad plebem infimi subsellii. Dein P. Virgilius videtur ignorare Idioma, & Theologorum, & Canonicarum, ubi nón rarò occurrunt hi termini:

mini: *Ita cõmunis contra communem.* Non enim illud ſolummodo commune eſt, quod omnium, aut plerorumque, ſed etiam, quod plurimorum eſt.

Hallucinatio 28. *Author Ideæ certi-* 28.
tudinem prætenſam ſuæ ſententiæ, quòd amor in Scriptura præceptus eſſentialiter conſiſtat in amore mixto ex benevolentia, & concupiſcentia, deſumit ex hoc unico principio, quòd exiſtimet amorem puræ benevolentiæ eſſe Romæ confixum. Sed hoc principium eſſe falſum, convincenter oſtenſum eſt f. 16. N. 20.

Animadverſio. In primis *palmariè* falſum eſt, quòd innitar unicô principiô confixionis Fenelonianæ. Eo enim Capitulo, quo probo, amorem in Scriptura præceptum eſſe mixtum, ne quidem unicô verbulô attingo damnationem Fenelonianam, ſed adduco argumenta ex ipſa Scriptura. Secundò: adeò non eſt convincenter oſtenſum, amorem deſintereſſatum *indirectè*, & *per conſequentiam* non includi in damnatione Feneloniana, ut etiam convincenter oſtenſum ſit oppoſitum ſuperiûs *Halluc.* 2. 3. & 4.

Hallucinatio 29. *Eſt potiùs liquidè* 29.
certum, quòd amor in Scriptura præceptus

non consistat essentialiter in amore mixto ex benevolentia, & concupiscentia; quia in Christo erat charitas, & tamen non erat concupiscentia, & desiderium fruitionis Dei, cùm semper fuerit in actuali visione beatifica. f. 16. n. 21.

Animadversio. P. Virgilius non advertit, amorem concupiscentiæ habere duos actus sub diversa consideratione boni concupiti; in bonum enim absens fertur *per desiderium*, in bonum præsens fertur *per gaudium*, *ac delectationem*. Cùm igitur in Christo fuerit delectatio in bono, etiam fuit motus concupiscentiæ in bonum. Id observat D. Thomas 2. 2. q. 28. a. 4. c. ubi sic scribit: *Amor est prima affectio potentiæ appetitivæ, ex qua sequitur & desiderium, & gaudium. Et ideo habitus virtutis idem est, qui inclinat ad diligendum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de Deo.* Sicut ergò D. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. a. 3. qq. 3. c. docet, in Beatis remanere habitum pœnitentiæ, quia ad remanentiam habitûs sufficit potentia ad eliciendum unum aliquem actum, qualis est in eo casu gratiarum actio pro impetratione remissionis; ita etiam in Christo ad salvandum habitum charitatis sub ratione concupiscibili sufficit delectatio, & gaudium

dium in bono posſesſo. Idem eleganter ostendit Richardus *de S. Victore* inferiùs *Animadv.* 86. referendus, dum ostendit, in Beatis dari æternam satietatem, & simul æternam esuriem.

Hallucinatio 30. *Moyses & D. Paulus præceptum dilectionis impleverunt per actus puræ benevolentiæ, ùt exponunt Cornelius à Lapide, Tirinus, & D. Chrysostomus.* f. 17. N. 22. 30.

Animadversio. Actus D. Pauli & Moysis non fuisse actus puræ benevolentiæ, convincenter probatum est *Animadv.* 11. & 23. ex ipsis Cornelio à Lapide, Chrysostomo, & aliis.

Hallucinatio 31. *Certum est, quòd in articulo mortis præcepto charitatis possit satisfieri per actum puræ benevolentiæ.* f. 17. n. 23. 31.

Animadversio. Hoc dicere, non est *hallucinari*, sed *errare enormiter*. Nam certum est juxta S. Thomam, & P. Maurum, superiùs *Animadv.* 22. & 26. relatos, & *Animadv.* 35. referendos, & juxta omnem sanam Theologiam, quòd actus puræ benevolentiæ non sufficiat ad rationem amicitiæ. Cùm ergò aliunde ex consensu omnium Theologorum non

solùm veterum, sed etiam recentiorum insignium charitas sit amor amicitiæ, certissimum est, purum actum benevolentiæ in articulo mortis non sufficere ad satisfaciendum præcepto charitatis.

32. Hallucinatio 32. *Iste actus est indubiè vera contritio: Licèt neque cælum, neque infernus esset, tamen verè dolerem de peccato, & actu doleo, unicè, quòd Deum infinitè bonum in se offenderim. Sed iste actus innititur soli motivo benevolentiæ. Ergò contritio præcepta indubiè est vera, etsi sit actus puræ benevolentiæ.* f. 18. N. 23.

Animadversio. Certum est, contritionem non esse veram contritionem, nisi eliciatur ex motivo charitatis. Certum etiam est, actum puræ benevolentiæ non esse actum amicitiæ, qui constituit actum charitatis; prout ex D. Thoma, & unanimi consensu Theologorum superiùs ostensum est. Itaque certum est, & *Minorem & Conclusionem* in hoc syllogismo illegitimo falsam esse; utrùm verò *Major* tanquam vera admitti possit, dependet ex eo, utrùm huic contritioni annexum sit serium ac efficax propositum, exhibendi Deo actus essentiales amicitiæ

pra-

practicos? Si hoc propositum saltem implicitè aut virtualiter non includitur in illa contritione; dico, quòd non sit vera contritio; quia evidens est, quòd vera contritio debeat detestari omnem malitiam reperibilem in peccato, & quidem per actum positivè incompossibilem cum affectu absoluto vel conditionato peccandi. Cùm ergò in omni peccato reperiatur hæc primaria malitia, quòd sit aversio ab ultimo fine, & dissolutio amicitiæ divinæ, haud dubiè hæc gemina peccati mortalis malitia in vera contritione per actum contrarium incompossibilem saltem virtualiter & implicitè detestanda, ac positivè excludenda est. At verò aversio ab ultimo fine, & dissolutio amicitiæ divinæ per actum contrarium incompossibilem positivè excludi nequit, nisi per actum conversionis ad ultimum finem, quo homo rationem ultimi sui finis seu beatitudinis constituit in Deo, & quo seriè vult redintegrare amicitiam cum Deo, sese offerendô ad actus essentiales amicitiæ practicos. Hîs suppositîs tanquam certîs, quæro ab ejusmodi contrito, an ita comparatus fuerit animô, ut simul in contritionis actu incluserit propositum, exhibendi Deo actus essentiales amicitiæ practicos, ex sua natura gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos? Si affir-

met, ſe ita fuiſſe comparatum, ea contritio erat vera contritio; quia averſionem ab ultimo fine tollit per affectum amicitiæ ùt tendentis ad beatificam perfectam unionem cum Deo; diſſolutionem autem amicitiæ tollit per ſerium propoſitum exhibendi Deo actus eſſentiales amicitiæ practicos, ex ſua natura gratuitos, vî aliorum mandatorum à præcepto charitatis diſtinctorum indebitos. Si verò ille actus contritionis ponatur ab uno ex *Complimentiſtis deſintereſſatis*, qui Deo dicat: *O Deus! ego, quia ita meveris ob infinitas tuas perfectiones; ex mera erga te benevolentia exhibebo tibi omnes actus benevolentiæ practicos, vî aliorum mandatorum ſub pœna inferni à te præceptos. Et vî præcepti charitatis etiam ſingulîs quinquenniîs vel annis renovabo hunc actum internum benevolentiæ; de cætero actus amicitiæ gratuitos, & in ipſo opere externo practicos, vî aliorum mandatorum ſub pœna inferni non præceptos, à me nullos exſpectes. Habeo enim hanc ſententiam, quòd vi præcepti charitatis ad nullos alios actus externos, ex ſua natura vî aliorum mandatorum indebitos, aut ex lege amoris amicitiæ gratuitos adſtringar.* Dico proin, quòd talis *Complimentiſta deſintereſſatus* cum ſuo actu contritionis æternùm pereat; quia non

elicit

elicit veram contritionem, ſufficienter deſtructivam totius malitiæ reperibilis in peccato, puta averſionis à ſuo ultimo fine, & diſſolutionis veræ amicitiæ cum Deo, ex ſua natura obligantis ad actus amicitiæ gratuitos & practicos in opere, vî aliorum mandatorum aliunde indebitos. Centies repeto, & repetam, hanc doctrinam eſſe, quæ pervertit orbem; quòd nempe charitas erga Deum non ſit amor veræ amicitiæ, ex ſua natura amicum obligantis ad actus gratuitos aliunde indebitos, ubi pro caſu & circumſtantia eos exigit *ordo charitatis* erga Deum: ſicut etiam erga proximum tenemur præſtare officia charitatis, vî juſtitiæ aliunde indebita, ubi pro caſu & circumſtantia erga proximum urget *ordo charitatis*.

Hallucinatio 33. *Poſſunt vitari pec-* 33.
cata præcepto charitatis contraria ex ſolis motivis benevolentiæ v.g. *ſi dicam: Malo cælo privari, vel in nihilum abire, quàm peccare in Deum, quem diligo unicè. Ergò amor in Scriptura præceptus non conſiſtit in amore mixto ex amore benevolentiæ & concupiſcentiæ.* f. 18. N. 24.

Animadverſio. Ad hoc argumentum Reſpondeo. Tr. a. n. c. Nam peccata

vitari

vitari possunt ex quovis motivo honesto v. g. temperantiæ, justitiæ, religionis, gratitudinis, spei &c. etiamsi per hoc non exerceatur actus charitatis; nec exinde inferri possit, quòd charitas consistat in actu temperantiæ, justitiæ, spei &c. Dixi: tr. Quia sine charitate initiali non excluditur positivè per actum incompossibilem affectus conditionatus peccandi.

34. Hallucinatio 34. *Iste actus certè bonus est, & per eum satisfit præcepto charitatis: Amo te, ô Deus! plùs quàm me, & malo potiùs cœlo extorris esse, quàm te offendere.* f. 18. N. 24.

Animadversio. Quòd hic actus bonus sit, nemo negaverit; est enim actus benevolentiæ erga Deum. An verò sit simul actus charitatis seu amicitiæ cum Deo, dependet ex implicita intentione operantis. Si enim intentio operantis sic comparata est, ut in actu simul involvatur saltem virtualiter propositum efficax præstandi Deo in opere actus essentiales amoris amicitiæ, ex sua natura gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos, eo-ipso per ejusmodi propositum & motivum amicitiæ actus benevolentiæ transit in amorem amicitiæ, qui essentialiter tendit ad unionem perfectam beatificam cum

Deo;

Deo ; & consequenter eoipso satisfiet præcepto charitatis. Si verò intentio operantis vel ob pravam instructionem, vel ob ignorantiam, vel ob animi torporem sic fuerit comparata, ut præter ejusmodi actus benevolentiæ internos ac speculativos, statîs temporibûs renovandos, in ipso opere externo nullos velit exhibere Deo actus amicitiæ gratuitos, sed tantùm actus practicos jam aliunde vî aliorum mandatorum à præcepto dilectionis distinctorum debitos, ille actus nec erit actus amicitiæ, ac consequenter nec erit actus charitatis, consequenter nec per eum satisfiet præcepto charitatis. Explicationem talis propositi dedi *Halluc.* 32.

Hallucinatio 35. *Præceptum de-* 35.
siderandi fruitionem Dei per amorem concupiscentiæ est affirmativum, nec obligat pro semper, & actus puræ benevolentiæ juxta S. Thomam 2. 2. q. 26. a. 3. ad 3. est melior amore concupiscentiæ. Ergò non est ratio cur actus amoris in Scriptura præceptus consistat essentialiter in mixto ex benevolentia & concupiscentia. f. 19. N. 26.

Animadversio. Tam amor concupiscentiæ, quàm amor benevolentiæ pertinet ad præceptum affirmativum. Quid

tum

tum ? Ergóne exinde ſequitur, quòd charitas ſeu amor amicitiæ, & ipſe pertinens ad præceptum affirmativum, non ſit mixtus ex amore concupiſcentiæ & benevolentiæ? At dices: amor benevolentiæ eſt melior amore concupiſcentiæ; & hoc docet D. Thomas. Quid tum? An exinde ſequitur, quòd corpus & anima non benè miſceantur in uno compoſito phyſico, eoquòd anima ſit melior corpore? Sic etiam in compoſito metaphyſico v. g. in actu contritionis, vel in actu elicito ob diverſos fines dantur variæ tendentiæ, quarum una eſt alterâ melior. Melior enim eſt in actu contritionis tendentia proſecutiva, quàm averſativa; & ſi quis det eleemoſinam partim ex affectu naturali compaſſionis, partim ex benevolentia erga pauperem pium, partim ad ſe exercendum in virtute miſericordiæ, & acquirendum habitum virtutis moralis, partim ex metu purgatorii, partim in ſolatium animarum purgantium, partim ex motivo amoris erga Deum &c. hæ omnes tendentiæ formaliter inter ſe diverſæ miſcebuntur in eodem realiter actu, licèt una earum ſit melior alterâ. Non igitur prohibet melioritas benevolentiæ, quin in actu amicitiæ ſeu charitatis cum

amo-

amore concupiſcentiæ jungi poſſit. Miror ſanè, quòd P. Virgilius adducere audeat D. Thomam, qui pluribus in locis expreſſiſſimè proteſtatur, quòd actus benevolentiæ non ſufficiat ad conſtituendum actum charitatis. Nam 2. 2. q. 23. a. 1. c. ait: *Nec benevolentia ſufficit ad rationem amicitiæ, ſed requiritur mutua amatio. Talis autem mutua amatio fundatur ſuper aliquam communicationem, ſecundùm quod Deus nobis beatitudinem communicat. Super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. Amor ſuper hanc communicationem fundatus eſt Charitas.* Idem 2. 2. q. 27. a. 2. c. dicit: *Benevolentia dicitur actus, quo alteri bonum volumus. Hic autem actus differt ab amore, qui eſt in appetitu intellectivo* (nempè ab amore concupiſcentiæ rationalis) *Amor enim, qui eſt in appetitu intellectivo, importat quamdam unionem ſecundùm affectum amantis ad amatum, in quantum ſcilicet amans æſtimat amatum quodammodo ùt unum ſibi, vel ad ſe pertinens, & ſic movetur in ipſum. Sed benevolentia eſt ſimplex actus, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta unione affectûs ad ipſum. Sic ergò in dilectione, ſecundùm quod eſt actus*

Charitatis, includitur quidem benevolentia, sed dilectio sive amor addit unionem affectûs. Et propter hoc Philosophus dicit; quod benevolentia est principium amicitiæ. Ita D. Thomas.

36. Hallucinatio 36. *Actus concupiscentiæ relatè ad beatitudinem non est liber, sed necessarius, prout patet ex textibus D. Thomæ ab Authore Ideæ adductis; & etiamsi illud motivum beatitudinis in actus benevolentiæ influeret tacitè, non tamen tribueret speciem actui; quia juxta ipsummet Authorem Ideæ actus specificantur à motivo explicitè importato. Ergo actus præceptus charitatis, haud dubiè liber, non est necessariò mixtus ex amore concupiscentiæ.* f. 19. N. 26.

Animadversio. P. Virgilius quomodo in hoc puncto errâsse ostensus est *Animadv.* 6. & 20., iterum de novo hôc locô errat; quòd non distinguat inter *necessitatem* actuum humanorum *relatè ad genus* beatitudinis, & inter *libertatem*, quæ est *ad speciem beatitudinis.* In omni actione humana involvitur appetitus necessarius ad genus beatitudinis propriæ; sed relinquitur libero arbitrio, an velit suam beatitudinem

dinem conſtituere in Deo, vel in creatura; item, an velit tendere ſuô deſideriô in Deum, tanquam fruendum beatitudine ſupernaturali, vel ùt fruendum beatitudine abſtractiva. Cùm autem in omni ſpecie includatur genus, impoſſibile eſt, ut in ullo actu libero humano excludatur appetitus naturalis ad rationem genericam beatitudinis. Sic dari nequit homo vel leo, quin detur animal; viſio niſi colorati, auditio niſi ſonori, guſtus niſi ſapidi. &c. Itaque nec poterit dari electio libera, niſi homo ſe liberè determinet ad aliquam ſpeciem boni contentam in genere beatitudinis. Aliô modô idem manifeſtum eſt in intentione finîs ſemel liberè præſtituti, v. g. in itinerante Romam. Quamvis enim intentio finîs non influat in omnes paſſus explicitè; influit tamen virtualiter; quia ſi exigatur ratio, cur potius tendat hâc viâ, quàm aliâ, ſtatim dabit pro cauſa intentionem finîs. Itaque ſemel liberè præſtituto fine in Deo vel in creatura, & appetitu innato urgente ac neceſſitante in omni actu ad tendendum in rationem finîs ſeu boni appetibilis, impoſſibile eſt, ut libertas ſeu libera electio non feratur ad ſpeciem boni appetibilis ſemel præſtituti, quamdiu prior intentio finis ſpecifici per actum

contrarium non mutatur. Aliud exemplum habetur in ſyllogiſmo, ubi conceſsîs præmiſsîs intellectus juxta non nullos neceſſitatur *ad exercitium*, id eſt, ad genus actûs *concluſionalis*, ſeu *illativi*. Neque enim in talium Authorum ſententia eſt intellectui liberum, utrùm velit elicere actum concluſionalem vel non; quamvis ipſi ſit liberum inferre actum affirmativum vel negativum, ſub modo adhæſionis certo vel probabili. Ex his ergo ſequitur, quòd impoſſibile ſit, ut appetitus innatus neceſſarius tendens ad rationem genericam beatitudinis, & impellens ad eligendam ſpeciem beatitudinis vel ad media convenientia, relinquat libertatem eligendi aliquid nec explicitè nec virtualiter ordinatum ad finem genericum neceſſariò volitum. Si in forma ſcholaſtica diſſolvendum foret ſophisma P. Virgilii, reſponderem unica diſtinctione. Amor concupiſcentiæ ſub *ratione generica* concupiſcentiæ eſt actus neceſſarius. C. ſub ratione ſpecifica concupiſcentiæ. N. Sub hac ergo diſtinctione non meum argumentum, ſed P. Virgilii patet eſſe apertè ruinoſum.

37. Hallucinatio 37. *Ex illis textibus Scripturæ: Ego ero merces tua magna*

na

na nimis ; Oſtendam tibi omne bonum ; Obſerva præcepta ut benè tibi ſit. Gen. 15. Exod 33. Deut. 6. plus non probatur , quàm quòd detur etiam præceptum ſpei ; non tamen ſequitur , quòd actus charitatis non poſſit dari ſine actu ſpei & viciſſim , aut quòd actus charitatis ſine actu ſpei ſit prohibitus vel confixus. f. 20 N. 28.

Animadverſio. Inprimis ego ex his textibus non probavi, quòd amor deſintereſſatus ſit prohibitus vel confixus. Id enim probavi ex propoſitionibus Fenelonii , de quibus actum eſt *Halluc.* 2. 3. & 4. dein naturam charitatis mixtæ ex amore concupiſcentiæ ac benevolentiæ non probo ex textibus præfatis ſeorſim ſumptis , ſed ex conſtanti praxi & obſervantia Dei , quòd univerſim , dum viros perfectiſſimos provocare voluit ad actus omnium perfectiſſimos , v. g. Abrahamum , Moyſen. &c. illis non propoſuerit ſolum motivum benevolentiæ , ſed motivum concupiſcentiæ. Cùm ergo veroſimile non ſit , quòd Deus tales viros conſtanter provocare tantùm voluerit ad actus ſpei , eósque in variis occaſionibus exercere perpetuò ſolùm in actibus ſpei , inferendum eſt , illa motiva

à Deo viris ſanctiſſimis propoſita non ſolùm pertinere ad actus ſpei, ſed etiam ad actus charitatis. Hoc meum erat argumentum, doctrinæ D. Thomæ conſentaneum, dum obſervat, idem eſſe objectum ſpei, & charitatis in ratione appetibilis. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2. ſcribit: *Charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, ſcilicet beatitudinem æternam.* Quod utique etiam eſt objectum ſpei: quamvis ſub alia ratione, nempe ſub ratione ardui. Ex his manifeſtum eſt, quòd P. Virgilius argumentum meum verum ſuppreſſerit, & aliud ex ſuo capite, ut haberet quod carperet, ſubſtituerit.

38. Hallucinatio 38. *Certum eſt, quòd ſine amore mixto ex benevolentia & concupiſcentia fruitionis Dei dari poſſit juſtificatio; eſt enim certum, quòd quis ita abſorberi poſſit motivis benevolentiæ puræ erga Deum, ut non cogitet de motivis fruitionis Dei, vel ut in hunc actum contritionis intenſiſſimo affectu prorumpat: Ita doleo, magne Deus, de meis peccatis, ut pro iis vindicandis & amore tuo reparando me offeram ad ærernas pænas amore tui tolerandas.*

Sed

Sed iſte actus ſaltem intra Sacramentum eſt certò ſufficiens. f. 22. N. 30.

Animadverſio. Hunc actum laudatum eſſe ab hæreticis, Sociniamis, Calviniſtis, Janſeniſtis, Montanenſibus &c. prout ſuperiùs oſtenſum eſt *Halluc.* 19. ex Harduino. Quòd autem iſte actus ſufficiat in Sacramento, adeò non eſt certum, ut potiùs dicendum ſit, hunc actum, cùm non deſtruat totam malitiam in peccato reperibilem, putà averſionem ab ultimo fine, & diſſolutionem amicitiæ cum Deo, eſſentialiter tendentis ad perfectam unionem cum Deo per fruitionem beatificam; immo converſionem ad finem ultimum, & redintegrationem præfatæ amicitiæ per æternas pœnas poſitivè excludat, *ùt jacet*, & *per ſe*, & *ratione ſuî* non ſufficere ad juſtificationem etiam in Sacramento, præſertim ſi virtualiter non includat propoſitum efficax exhibendi Deo in opere actus eſſentiales amicitiæ erga Deum practicos, quandocunq; & ubicunque eos exegerit *ordo charitatis.* Dixi, *per ſe*; quia ejusmodi actus benevolentiæ, de ſe ad juſtificationem inidoneos, *in praxi*, *realiter*, ac *effectivè*, *in perſonis piis* concomitari ſolet & amor

concupiſcentiæ ſaltem virtualiter, & propoſitum efficax præſtandi Deo eſſentiales actus amoris amicitiæ practicos, ex ſua natura gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos.

39. Hallucinatio 39. *Attritio ex ſolo metu concepta eſt certò ſufficiens ad fructum Sacramenti pœnitentiæ. -- Ea eſt indubiè ſufficiens ad fructum Sacramenti. -- Defacto fuit unanimis conſenſus Theologorum, quòd in puncto attritionis nulla detur diſtinctio circa ſufficientiam ad valorem & fructum Sacramenti, cùm ipſe Author Ideæ fateatur in Præfatione, ſe inveniſſe hanc ſententiam ad concilliandos Authores circa ſufficientiam & inſufficientiam attritionis. Ergo ſi attritio ſufficit ad valorem, eſt certum, quòd ſufficiat ad fructum Sacramenti: -- Certum eſt, quòd Pontifex in damnandis libris & propoſitionibus errare non poſſit; ſed Urbanus VIII. damnavit librum Epiſcopi Caſtorienſis, cui titulus Amor Pœnitens. Ergo certum eſt, quòd ad pœnitentiam juſtificativam ſit neceſſarius amor Theologicæ charitatis. -- Doctrina de neceſſitate amoris benevolentiæ ad Sacramentum pœnitentiæ, licèt non ſit proſcripta formaliter & directè, tamen*

juxta

juxta La Croix est confixa virtualiter & illativè. f. 22. & 23. N. 31. & 32.

Animadversio. Ego non docui, quòd detur distinctio in attritione quoad valorem & fructum Sacramenti, ita ut una sufficiat ad valorem, alia ad fructum Sacramenti. Ipsemet enim doceo; quòd Sacramentum pœnitentiæ non possit esse validum & informe; quia eo momento, quo ponitur Sacramentum, necesse est, poni omnes partes Sacramenti. Utrùm verò confessio possit esse valida & informis, longè alia est quæstio, quæ à me examinabitur in Tractatu de Pœnitentia. Distinctionem in attritione, idoneam ad conciliandas diversas Authorum sententias, posui in eo, quòd attritio, quatenus est merus recessus à peccato particulari determinato, absolutè volito, elici quidem possit ex quovis motivo supernaturali, sed quatenus est conversio ad Deum, necessariò includere debeat amorem Dei *initialem*. Eam conversionem autem dixi se potius tenere ex parte propositi, quàm attritionis. Attritio enim respicit præteritum per recessum & detestationem peccati commissi; propositum autem dicit actualem voluntatem, constituendi suum ultimum finem seu beatitudinem in Deo, & exhi-

bendi Deo actus essentiales amicitiæ practicos, ex sua natura gratuitos, vî aliorum mandatorum indebitos, sub qua duplici consideratione illud propositum revera continet amorem Dei *initialem*, compositum ex amore concupiscentiæ & benevolentiæ, ac proin in *esse physico* & quoad *substantiam* relatè ad objectum & motivum principale in Sacramento Pœnitentiæ convenientem cum amore Dei *perfecto*, ita ut differentia sit in esse physico tantùm *accidentalis*, quamvis in *esse morali* & *æstimatione divina* in ordine ad impetrandam extra Sacramentum justificationis gratiam ea differentia sit *substantialis*. Differentia autem illa extra Sacramentum inter dilectionem seu contritionem perfectam & dilectionem seu contritionem imperfectam, quæ attritio vocatur, neque consistit *in intensione* se tenente ex parte actûs; neque *in extensione* quoad durationem temporis, sed *in extensione* virium ad exhibendos Deo actus amicitiæ essentiales practicos, & *in extensione* ad actus amicitiæ non solùm essentiales, sed etiam accidentales, quantùm moraliter vires cujuslibet tulerint. Deus enim extra Sacramentum pœnitentiæ nec ex natura rei, nec ex promisso tenetur conferre gratiam justificationis, *nisi facienti quod est in se*, Deúmque moraliter ex

tota

tota anima, ex tota mente, tota fortitudine, & totîs viribûs, & ex toto corde, ſine intuitu ad motivum ſupplicio-rum, diligenti. Hæc eſt ſumma meæ doctrinæ. Jam videamus, an certum ſit, quod P. Virgilius prætendit, attritionem ex ſolo metu conceptam, ſufficere ad fructum in Sacramento impetrandum? Interea, usquedum edatur mea Theologia, & Tractatus de Pœnitentia, quod intra annum circiter futurum ſpero, P. Virgilio meî locò in Magiſtrum do SS. D. N. Benedictum XIV, qui in ſuo præclaro libro, *de Synodo*, edito Romæ 1748. l. 7. c. 13., de ſententia Theologorum amorem *initialem*, cum charitate perfecta quoad ſubſtantiam eundem, requirentium vel negantium, exactè ſcribit in ſequenti Diſſertatione.

SS. D. N. BENEDICTI XIV. DISSERTATIO

De neceſſitate amoris initialis in Attritione.

„1. SAncta Tridentina Synodus ſeſſ. 14. „ cap. 4. de reform. duplicem di„ ſtinguens contritionem, utrius„ que virtutem & efficaciam, in hunc

„ modum explicat: *Docet præterea, etsi*
„ *contritionem hanc aliquando charitate*
„ *perfectam esse contingat, hominémque*
„ *Deo reconciliare, priusquam hoc Sacra-*
„ *mentum actu suscipiatur; ipsam nihilo-*
„ *minus reconciliationem ipsi contritioni*
„ *sinè Sacramenti voto, quod in illa in-*
„ *cluditur, non esse adscribendam. Illam*
„ *verò contritionem imperfectam, quæ*
„ *attritio dicitur, quoniam vel ex tur-*
„ *pitudinis peccati consideratione, vel*
„ *ex gehennæ, & pœnarum metu commu-*
„ *niter concipitur, si voluntatem peccan-*
„ *di excludat cum spe veniæ, declarat,*
„ *non solùm non facere hominem hypocri-*
„ *tam, & magis peccatorem, verùm etiam*
„ *donum Dei esse, & Spiritus sancti im-*
„ *pulsum, non adhuc quidem inhabitan-*
„ *tis, sed tantùm moventis, quo pœnitens*
„ *adjutus viam sibi ad justitiam parat:*
„ *& quamvis sinè Sacramento pœniten-*
„ *tiæ per se ad justificationem perducere*
„ *peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei*
„ *gratiam in Sacramento pœnitentiæ im-*
„ *petrandam disponit.*

„ 2. Ex his Concilii Tridentini verbis
„ celebris orta est quæstio, qualis sit illa
„ attritio, quæ ad Dei gratiam, in Sa-
„ cramento pœnitentiæ impetrandam,
„ disponit. Atque ut in primis, de ipso
„ attritionis vocabulo aliquid dicamus,

illud

„ illud non esse antiquissimum, neque
„ ante annum 1220. in scholis vulgari
„ cæptum, Eruditi omnes optimè nô-
„ runt, cum *Morino de pœnit.* lib. 8. cap.
„ 2. num. 14. quod tamen per nomen
„ significatur, & Patribus, & Theologis
„ semper perspectum fuisse, nemo du-
„ bitat. Omnes quippe duplicem semper
„ agnoverunt contritionem, unam per-
„ fectam, quæ ex se justitiam & sancti-
„ tatem affert; alteram imperfectam,
„ quæ sola homini justificando impar est;
„ hanc verò contritionem imperfectam,
„ visum est Scholasticis, congruô voca-
„ bulô, appellare attritionem: *sicut*
„ *enim* (inquit Estius in 4. distinct. 16.
„ §. 9.) *in corporalibus attritum dicitur,*
„ *quod aliquo modo, nempe forinsecus tan-*
„ *tùm, læsum est, aut comminutum; con-*
„ *tritum verò, quod totum intus, & foris*
„ *fractione in minima resolutum est, ita*
„ *in spiritualibus attritio ab illis dicta est,*
„ *imperfecta quædam, & aliquo usque*
„ *tantum progressa pœnitentia; contri-*
„ *tio verò pœnitentia intima & per-*
„ *fecta.*

„ 3. Porro ex multiplici capite potest
„ hæc contritionis imperfectio dimanare:
„ & primo loco valde imperfecta est con-
„ tritio, quæ non est supernaturalis, sed
„ unicè movetur ab objecto naturali,

aut

„ aut non elicitur viribûs gratiæ. Hanc
„ ſufficientem non eſſe ad juſtificationis
„ gratiam, tam extra, quàm intra Sa-
„ cramentum, conſequendam, omnes
„ fatentur; eſt enim ſimilis pœnitentiæ
„ Antiochi, qui peccatum deflebat, non
„ quòd eſſet offenſa Dei, ſed propter
„ graviſſimum morbum, quo cruciaba-
„ tur, qua de cauſa veniam à Deo non
„ eſt conſecutus. 2. Machab. c. 9. Et
„ quamvis aliquot ex veteribus Schola-
„ ſticis viſi ſint huic naturali attritioni
„ vires tribuere, ad hominem Deo re-
„ conciliandum, eorum tamen opinio
„ proſcripta eſt ab Innocentio XI. qui
„ anno 1679. hanc propoſitionem num.
„ 57. damnavit: *Probabile eſt, ſuffi-*
„ *cere attritionem naturalem, modo hone-*
„ *ſtam.* Advertendum tamen, ne quis
„ confundat motivum pœnitentiæ cum
„ occaſione, qua ad pœnitentiam exci-
„ tatur; etenim multi morbo, alióve
„ temporalî malô vexati, perpetrata
„ crimina mente revolvunt, &, Dei gra-
„ tia auxiliante, illa ex motivo ſuperno,
„ ſeriò deteſtantur, ſicuti accidit Nini-
„ vitis, qui timore mortis temporalis,
„ ac ſubverſionis urbis, quam Jonas præ-
„ nuntiabat, commoti, per veram, ſin-
„ ceram & ſupernaturalem contritio-
„ nem ad Deum converſi ſunt.

„ 4.

„ 4. Imperfecta pariter est contritio,
„ quæ ab aliquo duntaxat peccatorum
„ genere, non ab omnibus, voluntatem
„ avertit; evenire enim potest, ut quis,
„ ex speciali affectione erga aliquam vir-
„ tutem, peccata eidem opposita dete-
„ stetur, quin tamen propositum habeat,
„ cætera præcavendi, quæ aliis virtuti-
„ bus adversantur. Ac demum imper-
„ fectissima erit, nec contritionis no-
„ men ea merebitur, quæ non procedat
„ ex deliberata voluntate, sed potiùs
„ sit quædam velleitas, seu sterilis at-
„ que inefficax displicentia de peccato,
„ absque absoluto proposito in posterum
„ non peccandi. Evidens porro est,
„ neutram ex his posterioribus contri-
„ tionibus ad justificationem prodesse;
„ quia neutra excludit voluntatem pec-
„ candi, sicuti Tridentinum exposcit;
„ neque ad illam pertinet pœnitentiam,
„ quam à nobis exigit Dominus Ezech. 18.
„ *Convertimini, & agite pœnitentiam ab*
„ *omnibus iniquitatibus vestris, & non*
„ *erit vobis in ruinam iniquitas: projici-*
„ *te à vobis omnes prævaricationes vestras,*
„ *in quibus prævaricati estis, & facite*
„ *vobis cor novum, & spiritum novum.*

„ 5. Alia est contritio supernaturalis,
„ & efficax, omnem excludens volun-
„ tatem peccandi, quæ nihilominus aliis

„ nomi-

„ nominibûs dicitur imperfecta, & in
„ quam unicè cadit controverſia, quam
„ propoſuimus. Et primò quidem po-
„ teſt contritio eſſe imperfecta, imper-
„ fectione *merè negativa*; quia ſcilicet,
„ etſi concipiatur ex eodem motivo cha-
„ ritatis, ſeu amoris Dei ſuper omnia,
„ ex quo concipitur contritio perfecta,
„ ad iſtius tamen intenſionis gradum non
„ pertingit, ſed eſt debilis, tenuis &
„ remiſſa. Secundò dicitur imperfe-
„ cta; quia peccata deteſtatur propter
„ Deum dilectum, non tamen *amore*
„ *amicitiæ*, ſed *concupiſcentiæ*, hoc eſt
„ dilectum, non quatenus eſt in ſe ſum-
„ me bonus, ſed quatenus eſt bonum
„ nobis, ſeu quatenus noſtra felicitas,
„ beatitudo, & finis ultimus. Tertiò,
„ & plerumque, nomine contritionis im-
„ perfectæ, intelligitur dolor de pecca-
„ tis unicè conceptus, atque elicitus
„ propter eorundem turpitudinem, aut
„ ſolum metum pœnarum & gehennæ,
„ abſque ulla Dei dilectione. Verùm
„ hæc eadem contritio imperfecta po-
„ teſt ita moveri ex timore gehennæ, ut
„ ſimul conjungatur, cum aliquo Dei
„ *amore initiali*; quatenus ſcilicet vo-
„ luntas, quæ peccata odit propter ſup-
„ plicia, ſimul fertur quodammodo in

„ Deum,

„ Deum, ùt objectum diligibile, eúm-
„ que incipit amare, quamvis nondum
„ amet amore perfecto charitatis. Dif-
„ ficile tamen est explicare hunc *amo-*
„ *rem initialem*, nisi dicamus, eum esse
„ verum actum amoris, sed debilem, te-
„ nuissimum, atque in minimo gradu;
„ ac proinde hæc quarta species contri-
„ tionis imperfectæ videtur ferè coinci-
„ dere cum prima, ex nuper enumera-
„ tis; neque in alio ab ea differre, nisi
„ quòd illa sit ex solo charitatis motivo,
„ hæc verò admixtum quoque habeat ti-
„ morem pœnarum.

„ 6. Hîs positîs, quamvis ante Triden-
„ tinum communiter Theologi docue-
„ rint, ad Dei gratiam in Sacramento
„ pœnitentiæ obtinendam satis esse con-
„ tritionem imperfectam, quam jam tum
„ *attritionem* nuncupabant: attritionis
„ tamen nomine, nunquam dolorem in-
„ tellexerunt de peccatis, aliunde exci-
„ tatum, quàm ex motivo charitatis,
„ seu omnino sejunctum ab aliquo saltem
„ remisso, tenui, debili, seu initiali amo-
„ re benevolo Dei, sicuti testatur doctis-
„ simus Morinus cit. lib. 8. cap. 4.
„ num. 2. Omnium autem primi Fran-
„ ciscus Victoria, & Dominicus So-
„ to, ambo ex ordine Dominicanorum,

docue-

„ docuerunt, ad peccatorum remiſſio-
„ nem virtute clavium aſſequendam, ſa-
„ tis eſſe attritionem merè ſervilem, ſeu
„ conceptam ex ſolo metu gehennæ ;
„ modò tamen hæc à pœnitente, *bona*
„ *fide reputetur contritio*, ad quam cæte-
„ roquin eliciendam eum pro viribus co-
„ nari debere, affirmârunt. At Mel-
„ chior Canus, Victoriæ, & Soti ſen-
„ tentiam ſecutus, eam præterea exten-
„ dit ad attritionem merè ſervilem, ſic
„ cognitam, hoc eſt, quæ à pœnitente
„ non exiſtimetur vera contritio, ſed ta-
„ lis eſſe cognoſcatur, qualis revera eſt.
„ Enim verò, ſi materia proxima Sacra-
„ menti pœnitentiæ eſſet vera contritio,
„ error pœnitentis, bona fide ſe contri-
„ tum reputantis, cùm revera contri-
„ tus non ſit, eum quidem excuſaret à
„ culpa, ſed non diſponeret ad gratiam
„ aſſequendam in Sacramento, quod ex
„ defectu materiæ proximæ eſſet irritum;
„ eo pacto, quo, qui ſolo elicito actu
„ doloris merè naturalis, quem tamen
„ credit ſupernaturalem, ad Sacramen-
„ tum pœnitentiæ accedit, non fit uti-
„ que ſacrilegii reus, ſed Sacramenti
„ effectu privatur, quemadmodum re-
„ ctè ratiocinatur Suarez tom. 4. in 3.
„ part. diſp. 20. ſect. 4. num. 15. & ſeqq.

„ Quam

„ Quam ob rem, ſi ad Sacramentum pœ-
„ nitentiæ ſufficit attritio ſervilis, quæ
„ reputetur contritio, ùt voluit Sotus,
„ neceſſariò inde conſequitur, ſufficien-
„ tem etiam eſſe attritionem merè ſer-
„ vilem, ùt docuit Melchior Canus.

„ 7. Melchioris Cani ſententia vix nata,
„ ſcholas omnes pervaſit, & tanto plau-
„ ſu excepta eſt, ut plurimos, ac magni
„ nominis ſtatim invenerit Patronos:
„ *Sed præ ceteris* (inquit Morinus cit.
„ loc.) *hanc opinionem celebrem reddi-*
„ *derunt duo Theologiæ ſcholaſticæ cla-*
„ *riſſima, & famoſiſſima lumina, Fran-*
„ *ciſcus Suarez, & Gabriel Vaſquez,*
„ *quos innumeri nunc ſequuntur Theolo-*
„ *gi.* Verùm, qui inter iſtos doctiores
„ & ſapientiores habentur, pavidi quo-
„ dammodo, & meticuloſi, ac magna
„ cum cautela illi recenti opinioni ſub-
„ ſcripſerunt, quam ipſemet Canus
„ non niſi dubitanter aſtruxerat part. 5.
„ Relect. de pœnit. inquiens: *Ponitur*
„ *contritio pars Sacramenti; quia eſt cer-*
„ *ta, & indubitata materia: quòd autem*
„ *attritio ſufficiat, quamvis verum ſit,*
„ *non eſt adeo certum, & indubitatum,*
„ *& ideo Concilium Florentinum, com-*
„ *munísque ſententia tenens certum, di-*
„ *mittens incertum, ponit contritionem*

„ *partem hujus Sacramenti.* Hac eadem
„ moderatione loquitur Suarez tom.
„ 4. in 3. part. quæſt. 90. art. 4. diſp. 15.
„ ſect. 4. num. 17. ubi obligans fideles,
„ qui lethalem culpam admiſerunt, ad
„ habendam contritionem charitate per-
„ fectam in articulo mortis, hanc affert
„ rationem: *Nam, licèt ſit probabilis*
„ *opinio, attritionem cognitam cum Sa-*
„ *cramento ſufficere ad juſtificationem,*
„ *tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa.*
„ *Quòd ſi fortaſſe in re ita eſt, probabilis*
„ *iſta exiſtimatio non ſufficit, ut homo*
„ *ſalvetur. Ergo qui ſciens, & videns,*
„ *ita ſe mori permittit, voluntariè ex-*
„ *ponit ſe periculo morali æternæ damna-*
„ *tionis: nam ubi eſt morale dubium, eſt*
„ *morale periculum, præſertim in re tam*
„ *gravi; hîc autem eſt morale dubium,*
„ *cùm illa opinio nec valde antiqua ſit,*
„ *nec multùm communis.* Suarezii moni-
„ tum confirmat Philippus Gama-
„ chæus Summ. Theolog. cap. 8. de
„ pœnitent. inquiens: *Etiamſi agnoſca-*
„ *mus, Sacramentum pœnitentiæ revera*
„ *facere ex attritis contritos, non tamen*
„ *id omnino indubitatum .... Ergo de-*
„ *bet tunc conari ad veram contritionem,*
„ *ut hôc modô attritio ſaltem evadat cer-*
„ *tior.* Et Paulus Comitolus in Re-
„ ſponſ. moral. lib. 1. quæſt. 32., licèt

„ ab-

„ abſolvi eum poſſe doceat, qui ex ſola
„ formidine æternæ pœnæ de peccatis
„ dolet, hæc tamen prudenter addit:
„ *Plures, magníque Theologi, in pœni-*
„ *tente, antequam abſolvatur, contri-*
„ *tionem veram charitate formatam re-*
„ *quirunt, neque usque adeò certum eſt,*
„ *attritionem pœnitenti eſſe ſatis. Quo-*
„ *circa Sacerdotis partes præcipuæ eſſe*
„ *debent veræ contritionis motum in cor-*
„ *de pœnitentis, auxiliante Deo, elicere,*
„ *ardentíque eum cohortatione urgere,*
„ *ut propter Deum peccata admiſſa exe-*
„ *cretur omnia.* Sed quod iſti, tanta
„ adhibita circumſpectione, affirmârunt,
„ poſteriores Doctores, ob auctum ſibi
„ conſentientium numerum, animoſio-
„ res facti, non ſolùm absque ulla dubi-
„ tatione, & limitatione aſſeruerunt, ſed
„ contrariam ſententiám, requirentem
„ in pœnitente aliquem charitatis amo-
„ rem, ſaltem *initialem*, carpere, &
„ cenſurâ afficere non dubitârunt, eam
„ omnino improbabilem, periculoſam,
„ Tridentini menti contrariam, atque
„ implicitè, & virtualiter quodammodo
„ ab eodem Tridentino proſcriptam, di-
„ ctitantes. Verùm iſtos redarguit Car-
„ dinalis Pallavicinus, diſertè affir-
„ mans, unicum Tridentini ſcopum fu-
„ iſſe damnare hæreticos improbantes
„ timorem ſervilem, tanquam inhone-

„ ſtum; neutiquam verò definire con-
„ troverſiam, jam tum inter Doctores
„ Catholicos agitatam; Lib. enim 12.
„ *biſt. Tridentini* cap. 10. num. 25. hæc
„ ad rem appoſitè ſcribit: *Quantùm ex*
„ *Actis conjicio, Theologorum mens erat,*
„ *ut error hæreticorum damnaretur, tan-*
„ *quam inhoneſtum improbantium pœnæ*
„ *timorem; non item ut ferret ſenten-*
„ *tiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujus-*
„ *modi timor non ſolùm absque contritio-*
„ *ne animi perfecta (de quo controverſia*
„ *vix fuit, ſicut patebit) ſed etiam abs-*
„ *que eo, quòd ullus excitetur amor im-*
„ *perfectus, ſufficiat ad peccatorum re-*
„ *miſſionem in Sacramento. Id verò clarè*
„ *liquet ex ipſa probatione Concilii, qua*
„ *hujus articuli doctrinam firmat cap. 4.*
„ *nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex*
„ *timore profectam ipſis profuiſſe, cùm*
„ *certum eſſet, eo tempore, quo Sacra-*
„ *mentum pœnitentiæ adhuc non extabat,*
„ *eam formidoloſam pœnitentiam minimè*
„ *ſuffeciſſe per ſe ipſam ad peccatum de-*
„ *lendum, ſed vim tantùmodo habuiſſe ad*
„ *impetrandam novam gratiam, cujus*
„ *ope adjiceretur charitas.* Teſtatur de-
„ inde idem probatiſſimus Hiſtoricus,
„ ſuprà citatum Decretum cap. 4. ſeſſ. 14.
„ fuiſſe priùs ita concinnatum, ut in eo
„ diceretur, attritionem ex metu gehen-
„ næ, & pœnarum *ſufficere* ad Dei gra-

„tiam

„ tiam in Sacramento impetrandam, ſed
„ intercedente Joanne Æmiliano Tu-
„ detano Epiſcopo ablatum fuiſſe ver-
„ bum illud *ſufficere*, ejúsque locò
„ ſubrogatum verbum *diſponit*, quod
„ profectò æquivocum eſt, & referri
„ poteſt cùm ad diſpoſitionem proximam,
„ tum ad remotam, ſicuti opportunè ob-
„ ſervant Petrus Lambertus le Drou
„ in Tract. de contrit. & attrit. diſſert. 1.
„ §. 1. & ſeqq. Natalis Alexander
„ Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de
„ Sacram. pœnit. art. 3. propoſit. 5.
„ Juenin de Sacrament. diſſert. 6. quæſt.
„ 4. §. 3. Tournely tract. de pœnit.
„ quæſt. 5. art. 2. Witaſse eod. tract.
„ quæſt. 3.

„ 8. Ad hæc, ùt obſervant Launo-
„ jus in diſſert. de mente Concilii Tri-
„ dentini, circa contritionem & attri-
„ tionem part. 2. cap. 2. & cit. Le Drou
„ §. 3. ex ipſismet Patribus & Theologis,
„ qui Concilio Tridentino interfuerant,
„ eôdem Concilio abſolutô, aliqui pro-
„ pugnârunt neceſſitatem inchoatæ con-
„ tritionis, ſeu amoris initialis, ad Sa-
„ cramentum pœnitentiæ, inter quos
„ Fridericus Nauſea, Epiſcopus Vien-
„ nenſis in Auſtria, in ſuo Catechiſmo, &
„ Franciſcus Sonnius Epiſcopus Ant-

„ verpienſis tract. 4. de pœnit. cap. 6. alii
„ pro ſufficientia attritionis merè ſervi-
„ lis dimicârunt, utì Andreas Vega,
„ & citati Dominicus Soto, & Mel-
„ chior Canus. Non autem fuiſſent
„ Præſules, & Theologi in has oppoſi-
„ tas ſententias diſtracti, ſi quid à Con-
„ cilio Tridentino, de hac re definitum,
„ ſciviſſent.

„ 9. Cùm itaque verſemur in quæ-
„ ſtione, ab Eccleſia hactenus non defi-
„ nita, jure ac meritò Alexander VII.
„ die 5. Maij 1667. ſub pœna excommu-
„ nicationis latæ *ſententiæ*, Sedi Apoſto-
„ licæ reſervatæ, præcepit: *Cunctis, &*
„ *ſingulis fidelibus . . . . . ut ſi deinceps de*
„ *materia attritionis ſcribent, vel libros,*
„ *aut ſcripturas edent, vel docebunt,*
„ *vel prædicabunt, vel alio quovis modo*
„ *pœnitentes, aut ſcholares, cæterósque*
„ *erudient, non audeant alicujus theolo-*
„ *gicæ cenſuræ, alteriúsve injuriæ, aut*
„ *contumeliæ notâ taxare alterutram ſen-*
„ *tentiam; ſive negantem neceſſitatem ali-*
„ *qualis dilectionis Dei, in præfata attri-*
„ *tione, ex metu gehennæ concepta, quæ*
„ *hodie inter Scholaſticos communior vi-*
„ *detur; ſive aſſerentem dictæ dilectionis*
„ *neceſſitatem; donec à ſancta Sede fuerit*
„ *aliquid hac in re definitum.* Caveant

„ pro-

„ *proinde Episcopi, ne in suis Syno-*
„ *dis, aut in Instructione Sacerdotum,*
„ *quam synodis quandoque attexunt,*
„ *aliquid decernant, aut de attritio-*
„ *nis merè servilis ad Sacramentum*
„ *pœnitentiæ sufficientia, aut de amo-*
„ *ris saltem initialis necessitate. Ad-*
„ *huc quippe sub Judice lis est: adhuc*
„ *impunè pro una, & altera senten-*
„ *tia dimicatur.* Paucîs antea annîs
„ Cardinalis Gottus Theolog. tom. 3.
„ in 3. part. D. Thomæ, quæst. 4. de con-
„ tritione, dub. 4. §. 1. sententiam pro-
„ pugnavit non requirentem in pœniten-
„ te amorem Dei, ne initialem quidem,
„ ad justificationis gratiam in Sacramen-
„ to pœnitentiæ assequendam. Hac ipsa
„ in urbe, operâ & curâ P. Caroli
„ Jacobi Romili, Ord. Min. Convent.
„ Generalis Magistri, typis recusum est
„ opus Claudii Frassen inscriptum:
„ *Scotus Academicus*; cujus Auctor
„ tom. 10. p. 563. strenuè defendit attri-
„ tionem ex solo metu pœnarum & ge-
„ hennæ, atque ex amore concupiscen-
„ tiæ, seu affectu spei conceptam, modò
„ supernaturalis sit, omnémque exclu-
„ dat voluntatem peccandi, esse suffi-
„ cientem dispositionem ad Sacramenti

„ pœnitentiæ fructum in ſe derivandum.
„ Contra verò Cardinalis Denhoff Epi-
„ ſcopus Ceſenatenſis, in ſua *Inſtructio-*
„ *ne Paſtorali*, de pœnit. Sacram. pag. 33.
„ aliqualem amorem in attritione requi-
„ rit, ut ſit ſufficiens Sacramenti pœ-
„ nitentiæ materia: Franciſcus Maria
„ Campioni annô 1698. doctam elu-
„ cubravit diſſertationem Theologico-
„ ſcholaſticam, in qua totîs viribûs co-
„ natus eſt demonſtrare neceſſitatem ali-
„ qualis amoris Dei, ſaltem imperfecti
„ & initialis, ad impetrandam gratiam
„ in Sacramentis, quæ dicuntur *Mor-*
„ *tuorum*: & laudatus Petrus Lambertus
„ le Drou, Epiſcopus Prophyrienſis,
„ Apoſtolici ſacrarii Præfectus, cùm per
„ urbem evulgatam vidiſſet diſſertatio-
„ nem, à Bartholomæo Rivio, ejusdem
„ ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo,
„ exaratam, in qua Auctor decertat pro
„ ſufficientia attritionis, omnis charita-
„ tis expertis, ad validè, & cum fructu
„ recipiendum Sacramenta Baptiſmi &
„ Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradi-
„ ctorem ſe præbuit, aliísque editis diſ-
„ ſertationibus, ſan. mem. Clementi XI.
„ nuncupatis, nullum non adhibuit ar-
„ gumentum, quòd aptum putaverit ad
„ prædictam opinionem refellendam,

„ con-

„ contendens, attritionem merè ſervi-
„ lem, ne à Sacramento quidem vires
„ ſortiri, quibus valeat hominem pro-
„ ximè diſponere, ad Dei gratiam, vel
„ primò obtinendam, vel amiſſam re-
„ cuperandam. Hinc rectè intulit Berti
„ Theolog. tom. 7. lib. 34. cap. 5. ni-
„ hil hactenus à Sede Apoſtolica, de hac
„ quæſtione deciſum, ſed libertatem
„ cuique datam, ex præfatis opinioni-
„ bus eam eligendi & docendi, quam
„ maluerit.

10. Sed non ideo prohibentur Epi-
„ ſcopi Confeſſarios monere, ut pæni-
„ tentes ad veram, & perfectam con-
„ tritionem hortentur, & excitent:
„ id ſiquidem faciendum ſuadent etiam
„ præcipui Authores, qui pro ſufficien-
„ tia doloris, ex ſolo metu gehennæ,
„ ſteterunt, utì Suarez, Gamachæus,
„ Comitolus, quorum teſtimonia ſu-
„ prà retulimus. Et quod magis eſt,
„ ita fieri præcipit Rituale Roma-
„ num, *juſſu Pauli V. editum*, Con-
„ feſſario injungens, ut audita pæni-
„ tentis ſacramentali confeſſione, ejús-
„ que peccatîs diligenter expensîs, *op-*
„ *portunas correptiones, ac monitiones,*
„ *prout opus eſſe viderit, paterna chari-*
„ *tate adhibeat, & ad dolorem, & con-*

„ *tritionem efficacibus verbis adducere*
„ *conetur* ; cui consonat Rituale Ar-
„ gentinense , editum à Cardinali de
„ Rohan tit. de pœnit. §. 1. ubi hæc
„ habentur : *Cæterum pœnitentes suos ad-*
„ *monere non cessent Confessarii , ne se*
„ *putent securos in Sacramenti pœniten-*
„ *tiæ perceptione , si præter fidei , &*
„ *spei actus , non incipiant diligere*
„ *Deum , tanquam omnis justitiæ fon-*
„ *tem , ùt loquitur sacrosancta Triden-*
„ *tina Synodus.*

Hucusque SS. D. N. Benedictus XIV. ex cujus verbis sequitur, sententiam eorum , qui putant sufficere attritionem conceptam ex metu inferni sine amore initiali , adeo non esse certam , ut opposita videatur longè probabilior , quam & ego defendo.

40. Hallucinatio 40. *Juxta Authorem Ideæ amor quà initialis non justificat extra Sacramentum , & amor quà perfectus justificationem jam supponit. Ergo amor mixtus non est necessarius ad justificationem.* f. 24. N. 33.

Animadversio. Falsissimum est ; quòd amor perfectus *quà perfectus* extra Sa-

Sacramentum juxta me jam ſupponat juſtificationem. Quicunque legerit meum *ad Scrupulos Lienhardianos Reſponſum*, videbit; me loqui de amore ac contritione perfecta *intra Sacramentum*, non extra Sacramentum. Cùm enim *amor initialis*, qui juxta me ad ſufficientiam attritionis requiritur in Sacramento pœnitentiæ, non habeat perfectionem ullam *materialem*, excepta puritate motivi à metu ſervili, utpote nec-dum extenſivè, nec intenſivè perfectus, ad hoc ut tranſeat in amorem habituallem perfectum, ejus imperfectio ſupplenda eſt ex gratia ſacramentali, ita ut in Sacramento pœnitens per infuſionem gratiæ ex attrito fiat contritus, & contritio *materialiter imperfecta* fiat ſaltem *formaliter perfecta* per unionem ad gratiam Sacramenti, à qua informatur illa dilectio initialis, & contritio materialiter imperfecta. Hic erat verborum meorum ſenſus, attento Lectori obvius; nec unquam cogitavi de alio ſenſu. Sed P. Virgilius mea verba in peregrinum ſenſum, à me prorſus alienum detorquens, ſomniat, quòd etiam extra Sacramentum perfectionem amoris & contritionis deſumam *ab unione ad gratiam Sacramenti.* Advertere utique potuiſſet, me non loqui de dilectione &

contritione perfecta *extrasacramentali*, cùm utique *extra Sacramentum* suam perfectionem desumere nequeant *ab unione ad gratiam Sacramenti.* At verò longè alia debet esse perfectio dilectionis & contritionis perfectæ ac justificativæ extra Sacramentum. Cùm enim Deus extra Sacramentorum largitatem non teneatur restituere gratiam, ab homine post baptismum malitiosè abjectam, nisi faciat, *quantùm moraliter est in se*, & ex *toto corde*, ex *tota anima*, ex *tota fortitudine*, & ex *omnibus animæ viribus* conetur diligere Deum, ea extrasacramentalis dilectio ac contritio in ordine ad obtinendam extrasacramentalem justificationis gratiam debet esse etiam *materialiter* perfecta, hoc est, *extensivè* perfecta, & *intensivè* perfecta, non quidem extensione quoad durationem temporis, nec intensione graduum se tenente ex parte actûs, sed *extensione* firmi propositi non solùm ad essentiales sed etiam accidentales actus amoris amicitiæ practicos, & *intensione virium* ad illud propositum fideliter observandum. Nisi enim dilectio & contritio extra Sacramentum habeat eam *perfectionem materialem* pro priori ad infusionem gratiæ, non assequetur *perfectionem formalem*, quæ habetur per informationem extra-

ſacramentalis gratiæ, niſi Deus ex ſpeciali pietate ac miſericordia minori extenſione & intenſione virium in caſu particulari velit eſſe contentus. Cæterùm hæc diſtinctio inter perfectionem dilectionis vel contritionis *materialem* & *formalem* non eſt nova, ſed eſt omnium Theologorum, qui cum D. Thoma 1. 2. q. 13. a. 8. admittunt mutuam naturæ prioritatem inter infuſionem gratiæ, & contritionem. Ea enim mutua naturæ prioritas à D. Thoma explicatur ad modum illius mutuæ prioritatis, quæ datur inter materiam & formam. Ibidem ad 2. ſic ait: *Diſpoſitio ſubjecti præcedit ſuſceptionem formæ ordine naturæ, ſequitur tamen actionem agentis. Et ideo motus liberi arbitrii* (in juſtificatione impii) *naturæ ordine præcedit conſecutionem gratiæ; ſequitur autem infuſionem gratiæ.* Vide dicenda *Animadv.* 124. & dicta *Animadv.* 8.

Hallucinatio 41. *Damnavit Ur-* 41.
banus VIII. librum Epiſcopi Caſtorienſis, cui titulus: Amor pœnitens. Ergo ex ſuppoſito, quòd Amor pœnitens damnetur, certum eſt, quòd iſte amor ad pœnitentiam juſtificativam non ſit neceſſarius. f. 23. N. 32.

Ani-

Animadverſio. P. Virgilius more ſolito, ſed infeliciter monſtrat ſuam eruditionem. Urbanus VIII. jam obiit annô 1644. liber Epiſcopi Caſtorienſis primùm impreſſus eſt annô 1683; dein verò *non prohibitus*, ſed tantùm *ſuſpenſus eſt*, *uſque dum corrigatur*, annô 1690. Ratio ſuſpenſionis non erat doctrina de neceſſitate amoris, ſed doctrina de *uſu Clavium*. En! ipſum tenorem confixionis ex Indice librorum prohibitorum: *Amor pœnitens, ſive de divini amoris ad pœnitentiam neceſſitate & recto uſu Clavium libri duo. Authore Joanne Epiſcopo Caſtorienſi. Embricæ anno* 1683. *ſuſpenditur, donec corrigatur Dec. Sac. Congreg. S. Officii.* 20. *Junii* 1690. Quòd hic liber non fuerit ſuſpenſus ob doctrinam de neceſſitate amoris initialis, patet ex Diſſertatione SS. D. N. Benedicti XIV. Cæterùm ſi P. Virgilius adeò reverens eſt erga Decreta Romana, conformet ſe Reſcripto ex S. Congregatione Indicis ad P. Lienhardium, per quod expungi juſſa eſt ea propoſitio: *ſupponant; quòd omnis amor charitatis perfectæ ſit amor purus, ſed non intereſſatus.*

Hallucinatio 42. 43. 44. 45. 46. 42. & 47. *Textibûs Patrum, quibûs utitur Au-*

Author Ideæ ad probandam neceſſitatem amoris mixti, etiam utitur Bajus & ejus aſſeclæ ad probandum, nullum opus bonum fieri poſſe ſine charitate Theologica. -- Dein dato, non conceſſo, quòd Patres vellent, charitatem eſſe neceſſariam ad juſtificationem, non probatur, quòd Patres loquantur de charitate mixta. -- Patres loquuntur de charitate operante. Abſit verò, Patres velle, quòd ſinè charitate operante non detur juſtificatio; hoc enim Bajus docuit, & ulteriùs addidit; quòd nullum detur opus bonum ac virtuoſum ſinè charitate, cùm tamen peccator deſtitutus charitate poſſit honeſtè & virtuosè operari. Si ergo Author Ideæ textus Patrum ſic extendit, reum ſe faciet ejusdem confixionis, & incurret in Propoſ. 16. Baij damnatam. Non eſt vera legis obedientia ſine charitate. f. 25. & 26. N. 34.

Animadverſio. In his paucis lineis latent plures hallucinationes. Nam

Primò. Ex eo, quòd hæretici 43.
abutantur iſdem textibûs Scripturæ & Patrum ad ſtabiliendos ſuos errores, non ſequitur, illos textus tanquam pollutos & execratos relinqui oportere intactos à Catholicis, aut ex eorum uſu Scriptorem Catholicum in ſuſpicionem vo-

cari

cari posse hæresîs, quo nihil petulantius, nihil calumniosius, nihil in materia detractionis excogitari posset gravius. Si enim Jansenius, & Calvinus, & ejus assecla utuntur iîsdem textibûs Scripturæ & Patrum, præsertim D. Augustini ad probandam existentiam gratiæ necessitantis, atque ad relinquendam solam libertatem à coactione, num propterea *genuinus Thomista* in suspicionem hæresîs vocari, & *petulanter* ac *calumniosè* traduci poterit tanquam Calvinista, Jansenista, aut Quesnelista, eoquòd ad probandam suam Præmotionem Physicam, & Prædestinationem gratuitam utatur iîsdem textibûs? Erubescenda profectò, &, nisi per pœnitentiam & restitutionem famæ deleretur, infernô digna esset ejusmodi *virulenta*, *viperata*, & *invidiosa* calumniandi methodus.

44. Secundò. Ignorare prorsus videtur P. Virgilius, vel dissimulare, in quo consistat Bajanus error, & hæresis. Ea consistit in hoc, quòd nulla admiserit dona supernaturalia, nec gratiam sanctificantem, nec habitus virtutum infusos, nec aliam charitatem infusam, præter solum actum humanum, quo diligitur Deus, etiamsi ille actus non informetur à gratia alia sanctificante, aut ab

alio

alio dono ſupernaturali, conſtituente habitum charitatis infuſæ. Ab iſto autem errore Baij longiſſimè recedunt, qui admittunt gratiam ſanctificantem, & alia dona infuſa tanquam formam actuum humanorum, & habituum, prout in Tract. *de Virtutibus* fusè oſtendo.

Tertiò. Datô, quòd Patres ad 44. juſtificationem omnem etiam in Sacramento requirant actum charitatis, haud dubiè non requirunt actum charitatis perfectæ, ac juſtificativæ, ſed imperfectæ, ſeu initialis, quæ ùt oſtendit SS. D. N. Benedictus XIV, ad minimum eſt amor ſpei, ſeu amor concupiſcentiæ; cúmque per adjunctum affectum benevolentiæ & amicitiæ ab actu ſpei debeat eſſe diſtinctus, neceſſariò ad minimum erit ſaltem actus amoris mixti.

Quartò. Propoſitio P. Virgilii, 45. quòd *charitas initialis* in Sacramento juxta SS. Patres univerſim etiam in receptione Baptiſmi & Sacramenti pœnitentiæ ad juſtificationem requiſita nec poſſit nec debeat eſſe *operans*, aut quòd charitas ejusmodi operans ſit ſemper eoipſo perfecta ac juſtificativa, adeóque Bajana, defendi non poteſt; expreſsè enim in *Reſcripto S. Congregationis Indicis ad P. Lienhardium* jubentur deleri

omnia illa loca, in quibus negari videtur ejusmodi dilectio *practica* seu *operans*, quæ, sicut justitia nil aliud est, nisi *constans ac perpetua voluntas tribuendi cuique jus suum* pro casu & circumstantia, ubi urget obligatio justitiæ, ita etiam ipsa nihil aliud est, quàm propositum firmum, hoc est, *constans ac perpetua voluntas placendi Deo per actus saltem essentiales amoris amicitiæ practicos*, ex sua natura gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos, ubicunque in casu particulari urgebit ordo charitatis, etiamsi illa constans ac perpetua voluntas seu propositum non sit semper conjuncta cum justificatione seu infusione gratiæ.

Reseriptum sic habet: *Ex Erotemate 3. P. Lienhardt deleantur omnia illa loca, quibûs significari videtur, ad justificationem impii non requiri propositum efficax placendi Deo per actus amoris practicos, aut saltem illa exponantur, ut mens Authoris non fuerit negare, ejusmodi propositum implicitum esse necessarium, ut impius justificetur, sed solum explicitum.*

46. Quintò. Non est Bajanum, sed Catholicum & generale Theologorum melioris notæ ferè omnium dogma, quòd

quòd nullum poſſit dari opus meritorium vitæ æternæ ſine charitate operante, hoc eſt, ſine prævio actu charitatis, qui tanquam actus imperans *virtualiter* ſaltem in actus ſubſequentes tanquam in ſuos actus imperatos influat. Ita expreſsè docet D. Thomas, ita Scotus, ita etiam aſſeclæ horum Doctorum. Angelicus 1. 2. q. 114. a. 4. c. ſic ſcribit: *Vita æterna in Dei fruitione conſiſtit, motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni eſt proprius actus charitatis, per quem* (NB. actum) *omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod eorum actus à charitate imperantur.* Et ibidem ad 3. *Dicendum, quòd fidei actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ùt dicitur ad Gal. 5. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate operetur, ſecundùm illud* 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et 2. 2. q. 23. a. 4. ad 1. *Charitas ponitur in definitione*

tione omnis virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus, sed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes. Istud *aliqualiter* autem S. Doctor ibidem sic explicat ad 2. *Dicendum, quòd virtus vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, imperat virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alii fines secundarii, sicut militaris imperat equestri. Et ideo quia charitas habet pro objecto ultimum finem vitæ humanæ, scilicet beatitudinem æternam; ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii, non quasi immediatè eliciens omnes actus virtutum.*

Ex recentioribus Theologis hanc Quæstionem ex instituto examinat Paulus à Conceptione in sua Theologia Salmanticensi Tract. 14. disp. 2. dub. 5. ubi sic

„ scribit: „ *Quæritur, an ad meritum con-*
„ *dignum vitæ æternæ requiratur ordi-*
„ *natio charitatis?* Ordinatio autem est
„ multiplex; *habitualis*, *formalis*, &
„ *virtualis.* Virtualis ordinatio est,
„ quando actus charitatis formalis relin-
„ quit aliquam sui virtutem, media
„ qua influit in actus aliarum virtutum.
„ Prima sententia docet, ad meritum
„ de condigno vitæ æternæ sufficere re-
„ lationem habitualem. Secunda defen-

dit

„ dit, nullum actum esse meritorium
„ de condigno vitæ æternæ, nisi præ-
„ ter ordinationem habitualem chari-
„ tatis habeat insuper ordinationem vir-
„ tualem illius. Ita perpetuò D. Tho-
„ mas, D. Bonaventura, Scotus, Du-
„ randus, Lorca, & nobiliores Tho-
„ mistæ, quos referunt, & sequuntur
„ Salmanticenses. Dicendum; influ-
„ xum gratiæ habitualis (puta gratiæ
„ sanctificantis) media charitate (actua-
„ li) in actus supernaturales esse sim-
„ pliciter necessarium ad meritum vitæ
„ æternæ, proindéque esse necessariam or-
„ dinationem saltem virtualem charitatis.
„ Probatur ex verbis Apostoli ad Gal.
„ 5. dicentis, quòd in Christo nihil
„ valet, nisi *fides*, *qui per charitatem*
„ *operatur*. Et D. Augustinus de fide
„ & operibus. *Apertissimè Scriptura*
„ *testatur; nihil prodesse fidem, nisi*
„ *eam, quàm definit Apostolus, id est,*
„ *quæ per dilectionem operatur*. Et D.
„ Bernardus. Ep. 107. *Nec fides va-*
„ *let, si non operetur ex dilectione.* --
„ Ista verba Apostoli non possunt intel-
„ ligi de charitate otiosa, seu non ope-
„ rante. Nullatenus enim potest per-
„ cipi, quòd fides per charitatem ope-
„ retur, si ipsa charitas nihil operetur;

„ ſicut nequit intelligi, quòd intelle-
„ ctus per voluntatem operetur, vo-
„ luntate nihil operante. Nam aliquem
„ operari per alium, importat eſſen-
„ tialiter, quòd iſte verè operetur. --
„ Ergo fides nequit per charitatem ope-
„ rari, ſi charitas remaneat præcisè in
„ ratione habitûs, & non reducatur ad
„ actum. Ergò nequit intelligi de cha-
„ ritate præcisè habituali.

Ita iſta Theologia Thomiſtica Salmanticenſis, ad quam meritò erubeſcant, qui eam ſententiam non erubuerunt arguere Bajaniſmi. Plura de hac re ſcribo in Tract. *de Charitate.* intra annum in mea Theologia typis vulgando.

47. Sextò. Quòd peccator deſtitutus charitate poſſit ponere opera *moraliter bona*, & quòd poſſit *vera legis obedientia* quoad ſubſtantiam obſervare præcepta alia diſtincta à charitate v. g. fidei, ſpei; & quòd ejusmodi actus ſint *actus virtutum ac virtuoſi*, haud dubiè nemo negaverit, niſi ſenſerit cum Quesnello, aut Bajo; ſed P. Virgilius nec mille equîs hæc conſectaria ex mea *Idea amoris*, aut ex meis *Reſponſis ad Scrupulos Lienhardianos* extrahet. Quin imò docui non ſemel è diametro oppoſitum.

Ipſe-

Ipſemet P. Virgilius f. 17. N. 22. fatetur, quòd in mea Idea c. 2. doceam; ſpeciem operum & actuum humanorum ſumi *à motivis explicitis*, quæ videlicet in operando ſubſtant attentioni operantis. Itaque ſi Ethnicus, Turca, peccator, ponat actum temperantiæ, juſtitiæ in contractibus, reverentiæ erga parentes, obedientiæ & fidelitatis erga Principem, &c. nemo prudens negaverit, hos actus potiùs eſſe virtuoſos, quàm *vitioſos*; ea eſſe *in genere virtutis*, & non *in genere vitii*; opera hæc eſſe *bona*, & non *mala*; quia homines in his denominationibus conferendis vel denegandis ſolùm reſpiciunt ad motiva actuum *immediata*, ac *proxima*, & *obvia*, & *explicita*, quæ communiter ſubſtant attentioni operantium, nempe ad principia ac *regulas morum proximas*. Hîs tamen non obſtantibûs juxta Theologos ſemper verum erit, quòd omnia iſta opera, quamdiu non per actum aliquem charitatis ordinantur in finem ultimum, neque ſint opera *perfectè bona*, neque habeant rationem *perfectæ virtutis*, nec ſint *perfectè virtuoſa*, nec etiam *ſimpliciter* ſint *vera virtus* relatè ad finem *remotum* ſeu *ultimum* virtutis. Ita enim expreſsè docet D. Thomas 2. 2.

q. 23. a. 7. c. *Dicendum*, inquit, *quòd virtus ordinatur ad bonum: bonum autem principaliter eſt finis. Nam ea, quæ ſunt ad finem, non dicuntur bona, niſi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex eſt finis, unus ultimus, alter proximus, ita etiam eſt duplex bonum, unum ultimum ac univerſale; aliud proximum & particulare. Ultimum & principale bonum hominis eſt Dei fruitio ſecundùm illud Pſ. 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Et ad hanc ordinatur homo per charitatem. Sicut ergo patet, quòd virtus vera ſimpliciter eſt illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis, nulla vera virtus poteſt eſſe ſine charitate.* Et ad 1. *Actus alicujus charitate carentis, ſecundùm quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur. Et ſecundùm hoc ſine charitate poteſt quidem eſt aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfectè bonus, quia deeſt ordinatio ad ultimum finem.* Et ad 2. *Non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit debita ordinatio ad finem, quæ eſt per charitatem, quantumcunque aliquis ſe rectè circa alia habeat.* Et ibid c. *Si particulare bonum* (ad quod actio ordinatur) *ſit verum bonum, utpote,*

utpote, quantum eſt in ſe, ordinabile ad principale bonum, putà conſervatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta. Et a. 8. c. *Per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem. Et ſecundùm hoc ipſa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur eſſe forma virtutum.* Et ad 3. *Charitas dicitur finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem ſuum. Et dicitur Mater aliarum virtutum; quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum imperandô ipſos.*

Ex his omnibus D. Thomæ textibus patet, quòd peccatoris opera *bona* ſint quidem ex ſuo genere bona, ſed non *perfectè bona*, & quòd ſint ſimpliciter *virtus*, ſed non ſint *ſimpliciter vera virtus* relatè ad finem remotum, ſeu ultimum virtutis.

Hallucinatio 48. *Author Ideæ objicit ex Auguſtino illum textum: Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas? Et ex S. Iſidoro: Nullus eſt rectus, niſi qui te diligit; & nullus te diligit, niſi rectus. Ergo nihil boni aut recti datur ſine charitate. Reſpondeo. Iterum his & ſimilibûs textibûs loqui Bajum. Propoſitio Bajana ita ſonat: Omnis amor creaturæ* 48.

rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, & à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur. Ergo datur boni cupiditas, quæ non eſt charitas Theologica, & datur aliquid rectum, quod non eſt dilectio Dei Theologica; quia dantur actus fidei, ſpei, juſtitiæ &c. qui non ſolùm boni ſunt, ſed ad ipſam juſtificationem in Sacramento à Tridentino perducere dicuntur. f. 26. 27. N. 35.

Animadverſio. Non loquitur Bajus, ubi loquitur S. Auguſtinus & S. Iſidorus, ſed loquitur tam *Baji*, quàm P. *Virgilii*, hos textus malè exponentium, imperitia. D. Auguſtinus in contextu manifeſtè oſtendit; ſe loqui de ea cupiditate, ubi bonum ſummum, quod eſt Deus, non amplius concupiſcitur ſolo timore pœnæ, & eam cupiditatem definit eſſe charitatem ſaltem initialem. Textus enim à me in Idea adductus, & à P. Virgilio in eſſentialibus truncatus, ſic habet: „ Cupiditas boni non homini „ à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet. „ Quid enim boni cupiditas, niſi cha-„ tas? Tunc bonum concupiſci incipit, „ quando dulceſcere cœperit. Quando „ autem (ſolùm aut principaliter) timo-

„ re

„ re pœnæ, non amore juſtitiæ fit bo-
„ num, nec fit in corde, quod fieri vi-
„ detur in opere, quando homo (*ſaltem*
„ *diſpoſitione habituali per actum contra-*
„ *rium & cum voluntate conditionata*
„ *peccandi poſſibili incompoſſibilem non re-*
„ *tractata*) mallet non facere, ſi poſſet
„ impunè. Ergò benedictio dulcedinis eſt
„ gratia Dei, qua fit in nobis, ut (ſine
„ principali reſpectu ad pœnas) nos de-
„ lectet & cupiamus, NB. hoc eſt, ame-
„ mus, quod præcipit nobis. „ Ex hoc
textu manifeſtum eſt, quòd D. Auguſti-
nus loquatur *de charitate initiali*, dum
econtra Bajus loquitur *de charitate per-
fecta*. Item, quòd D. Auguſtinus non ne-
get *fieri bonum*, ſed tantùm neget, *benè
fieri bonum*. Non igitur loquitur Bajus,
ubi loquitur S. Auguſtinus, ùt calumnia-
tur P. Virgilius. Itaque nec ego loquor
cum Bajo, nec ex me loquitur Bajus,
prout hôc locô calumniatur P. Virgilius,
dum loquor cum S. Auguſtino. Certè in
præced. *Animadv.* ex D. Thoma vidimus,
nec fidem, nec ſpem, nec ullam aliam
actionem, ex ſuo genere bonam, habere
rationem *perfectæ virtutis*, aut actûs
perfectè boni, niſi imperetur, & ad ulti-
mum finem ordinetur à charitate. Quòd
autem Bajanum non ſit, ſi dicatur, etiam
in Sacramento neminem ad juſtificatio-

nem

nem perduci per actus aliarum virtutum ſine *charitate initiali*, ſufficienter demonſtratum eſt ex *Diſſertatione* SS. D. N. Benedicti XIV, quæ habetur *Animadv.* 39.

49. Hallucinatio 49. *Amor in Scriptura præceptus non involvit eſſentialiter propoſitum exercendi alias virtutes.* f. 28. N. 37.

Animadverſio. Hæc Propoſitio P. Virgilii nequit admitti. Quia certum eſt, quòd charitas amicitiæ erga Deum tanquam virtus generalis non ſolùm involvat implicitum propoſitum ſervandi mandata, inter quæ continentur aliæ virtutes, v. g. juſtitiæ, miſericordiæ, religionis, fidei, ſpei &c. ſed etiam ponendi actus amicitiæ *gratuitos*, vî mandatorum aliorum indebitos, quo caſu & circumſtantiâ eos in particulari exegerit *rectus ordo charitatis.* Nihil enim abſurdius foret amico, qui alteri ſuo amico diceret: *amo quidem te ex intimo cordis, ſed obſequium à me nullum habebis, niſi ad quod aliunde obligor ſub pœna capitis.* Addo, hanc propoſitionem P. Virgilii comprehendi in doctrina, quæ per Reſcriptum S. Congregationis Indicis juſſa eſt deleri ex opuſculo P. Lienhardii. Reſcriptum ſic habet: *Deleantur omnia*

nia illa loca, quibûs significari videtur, ad justificationem impii non requiri propositum efficax placendi Deo per actus amoris practicos, aut saltem ita exponantur, ut mens Authoris non fuerit, negare, ejusmodi propositum implicitum esse necessarium, ut impius justificetur, sed solum explicitum. Hoc verò Rescriptum manifestè eludereretur, si quis per *actus amoris practicos* tantùm intelligere vellet aliquos actus internos speculativos benevolentiæ, v. g. annuatim renovandos, aut actus quidem externos, sed jam aliunde vî aliorum mandatorum, v. g. religionis, justitiæ, obedientiæ, misericordiæ &c. sub pœna inferni debitos. Debent enim pro primo mandato charitatis, quæ est amor amicitiæ, assignari actus practici *huic soli mandato proprii*, qui alii assignari non possunt, quàm actus in omni genere virtutum essentialiter gratuiti & aliàs indebiti; ita tamen ut eorum aliqui sint *essentiales*, & alii *accidentales*. Essentiales voco illos actus virtutum gratuitos, qui versantur in negotiis gravis momenti, ubi ordo charitatis & amicitiæ erga Deum exigit, ingentia emolumenta divinæ gloriæ præponi emolumentis & commodis propriis. Si enim *ordo charitatis* erga proximum id poscit, ut teneamur diversimodè præponere utilita-

litatem & commodum proximi in communi, gravi aut extrema neceſſitate, quanto magis conſtituendus erit aliquis ordo charitatis inter Deum & hominem ex lege amicitiæ, ita ut Deo, patienti detrimenta ſuæ gloriæ in Eccleſia Dei, & ſtatu ſuarum animarum, teneamur recto ordine charitatis ſeu amicitiæ ſuccurrere cum noſtro incommodo & detrimento, quamvis ad hujusmodi actus virtutum, ex ſuo genere gratuitos, non adſtringamur vî juſtitiæ, religionis, obedientiæ, vel alterius particularis mandati. Siquis reſcire velit, quales in praxi poſſint occurrere caſus & circumſtantiæ, in quibus homo præcisè ex lege amicitiæ erga Deum & ob rectum ordinem charitatis poſſit obligari ad ſacrificanda ſua propria commoda in emolumentum notabile divinæ gloriæ, locò mille exemplorum adjungo tantùm paucula. 1. Videt quis ex introductione reformationis, aut ſtatutorum, vel legum in ſuo Monaſterio, in ſuo Ordine, in Epiſcopatu, in Provincia, notabiliter augeri poſſe emolumenta divinæ gloriæ, cultum & laudem Dei, puritatem animarum & decus Eccleſiæ; ſed quia id ſibi incommodum, nec aliunde titulô alterius mandati agnoſcit obligationem, eam novationem in melius recuſat. 2. Videt Parochus, ex frequenti

quenti usu Sacramentorum, ex introductione Confraternitatis, ex Concionum & Catechesium frequentia singulîs Dominicîs & festîs, ex diligenti visitatione infirmorum, ex applicatione reddituum Ecclesiasticorum superfluorum in usus pios, ex honesta parsimonia & in egenos misericordia &c. obtineri posse ingentia emolumenta divinæ gloriæ; sed quia vel ob consuetudinem antecessorum aut vicinorum, vel ob opiniones probabiles laxiorum Casistarum, non agnoscit aliunde obligationem, illa bona Dei sibi incommoda omittit promovere. 3. Magistratus & Principes vident, si severè tollerentur abusus ex choreis nocturnis, & ex compotationibus & lusibus in seram noctem; luxus vestium, evagationes nocturnæ, meretricum tolerantia, licentia morum, neglectus studiorum, protractio litium, promotio inexpertorum & minùs habilium ad dicasteria; si denique ipsimet diligenter se applicarent suo officio in adeundis conciliis, & audiendis consiliis, lustrandis actis & rationibus, legendis libris necessariis, in conversationem allegandis viris probis & doctis &c. posse in immensum augeri emolumenta divinæ gloriæ & decora Ecclesiæ; sed quia existimant, vî aliorum mandatorum se ad talia non adstringi, utpote

freti

freti generali consuetudine, & opinione laxa Doctorum, nolunt commoda recreationum aut lucrorum temporalium sacrificare pro bono Dei & ejus sponsæ Ecclesiæ. 4. Videt quidem Pater-vel Materfamilias, accessurum non leve auctarium divinæ gloriæ, si in liberis, famulis & ancillis præscinderet pericula, prohiberet occasiones malorum non necessarias, incitaret ad virtutem & usum divinorum; sed quia æstimat, ea omnia tanti non esse, ut aliunde vel ex justitia, vel ex charitate proximi detur gravis obligatio, negligit vel ob metum aliqualis damni aut incommodi exhibere Deo illa molesta sibi obsequia. 5. In promotionibus ad Episcopatus, Prælaturas, Parochias, videt quis promoveri quidem posse divinam gloriam in immenso excessu per electionem vel præsentationem eminenter probioris, doctioris, prudentioris, ferventioris; sed quia ob probabilitatem, ut putat, sententiæ existimat, se satisfacere justitiæ, si eligat vel præsentet simpliciter dignum, eligit vel præsentat alium sibi commodum. 6. Vident Clerici, aut Superiores, maxima proventura emolumenta divinæ gloriæ, si vitarent quasdam vanitates in vestitu, conversationes parum ædificatorias, recreationes superfluas & incongruas sta-

tui,

tui, ſi promoveretur eccleſiarum & paramentorum decor, ſi erigerentur ſcholæ, & conducerentur Ludimagiſtri, & urgeretur juventutis bona inſtructio &c.; verùm quia hæc omnia exiſtimant, non pertinere ad neglectum vel obligationem aliunde gravem, nolunt ex amore amicitiæ exhibere Deo illa ſibi moleſta obſequia. Dico proin; dari quosdam caſus decretorios amicitiæ cum Deo, in quibus urget præceptum charitatis ad actus amoris practicos ex ſuo genere gratuitos, juxta illud Apoſtoli 2. *Cor.* 5. *v.* 14. *Charitas enim Chriſti urget nos.* Ex dictis enim patet, poſſe concurrere & frequenter concurrere circumſtantias, in quibus ejusmodi obſequia, utut ex ſuo genere ponantur gratuita, & vî aliorum mandatorum indebita, exigat *ordo charitatis* & amicitiæ erga Deum, & quidem decretoriè; ita ut ejusmodi obſequiîs præſertim frequenter non exhibitîs tollatur natura, eſſentia, & ratio amicitiæ, ſicut contingit in humanis amicitiis, & in ordine charitatis erga proximum. In ejusmodi ergo hominibus, etiamſi frequenter confiteantur & communicent, ſed nunquam cum efficaci propoſito ſaltem implicito, exhibendi Deo eſſentiales actus amoris amicitiæ practicos, ex ſua natura in varia virtutum ma-

teria gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos, ubi concurrentibûs circumſtantiîs id exegerit *ordo charitatis* & amicitiæ erga Deum, id ſolum ad damnationem ſufficit, quòd non habeant veram charitatem ſeu amorem amicitiæ erga Deum. Hinc etiam ſumma omnium delictorum, quæ in Phariſæis & Judæis reperiebantur, in ſolum tandem defectum veri amoris practici erga Deum à Chriſto conſtringitur, & pro motivo gravis indignationis ac reprobationis allegatur *Joan. 5. v. 42.* ubi finalem hanc profert ſuæ juſtæ averſionis ſententiam : *Sed cognovi vos ; quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Ex quibus ſimul appareret, quàm perniciosa ſit ſententia oppoſita amoris deſintereſſati, totum exercitium amoris reſtringens ad aliquot actus ſpeculativos internos, ſtatîs quinquenniîs vel annîs renovandos, atque ad implicitum propoſitum exercendi actus virtutum ex bonorum operum vî aliorum mandatorum ſub pœna inferni aliunde debitos, nec aſſignans ullum actum externum practicum, ſoli præcepto charitatis proprium.

50. Hallucinatio 50. *Præcepta aliarum virtutum poſſunt impleri ſine charitate. Ergo etiam charitas poteſt impleri*

ri ſine propoſito exercendi alias virtutes. fol. 28. N. 37.

Animadverſio. Hæc eſt imperita argumentatio, huic ſimillima: Fides & ſpes poſſunt impleri ſine charitate: Ergo etiam charitas poteſt impleri ſine propoſito exercendi fidem & ſpem. Item: Definitio, diviſio, & quivis alius actus logicus, ſeorſim ſpectatus in tyrone Logicæ, poteſt exerceri ſine habitu logico: Ergo etiam habitus logicus poteſt haberi & exerceri, quin inclinet ad omnes actus logicos. Pari ergo ratione charitas amicitiæ, quæ pro ſuo objecto materiali habet omnes actus virtutum *ſub ea ratione generica, quod ſint acceptæ Deo*, inclinat ad omnes actus virtutum, ad eósque ſe extendit per implicitum propoſitum, ita ut horum aliquos tantùm reſpiciat, ùt obligatorios ſub levi, ſeu *accidentales*, alios tanquam *eſſentiales*, in quantum pro diverſitate circumſtantiarum ex lege amicitiæ ſub levi diſplicentia exiguntur, vel decretoriè ſub diſſolutione veræ amicitiæ poſtulantur, ubi in caſu particulari ita exegerit ordo amicitiæ ſeu charitatis.

Hallucinatio 51. *Præcepta affir-* 51.
mativa non obligant pro ſemper. Ergo non ſemper, dum ponitur amor à charita-

te præceptus, hoc ipso essentialiter obligant aliæ virtutes ad propositum de suis actibus exercendis. f. 28. N. 37.

Animadversio. Imperita est hæc argumentatio P. Virgilii, ac isti argumentationi simillima: Præcepta affirmativa non obligant pro semper: Ergo dum ponitur contritio, non semper essentialiter obligant virtutes justitiæ, religionis, misericordiæ, fidei, spei &c. ad propositum de suis actibus exercendis. Nugæ! Non virtutes obligant ad *sui* propositum, sed lex pœnitentiæ & conversionis veræ obligat ad *earum* propositum.

52. Hallucinatio 52. *Potest quis habere actum charitatis, quin cogitet de aliis virtutibus exercendis. Ergo actus charitatis non essentialiter involvit propositum exercendi alias virtutes.* f. 29. N. 38.

Animadversio. tr. a. d. c. Ergo non involvit propositum *explicitum*, concedo, *implicitum*, nego. Iterum hæc argumentatio imperita est; alioquin sequeretur, quòd quis posset velle fieri amicus, judex, medicus, sutor, &c. quin habeat propositum implicitum exercendi actus amicabiles, judiciales, medicinales, sutoriales &c. si tunc de iis non cogitet explicitè.

Hallu-

Hallucinatio 53. *Licèt actus fidei, spei, timoris, &c. interdum imperent actus charitatis, id tamen non est eis essentiale. Ergo etiam charitati, licèt interdum imperet alias virtutes, id tamen non est illi essentiale.* f. 29. N. 38. 53.

Animadversio. c. a. n. c. Disparitas est; quia virtutes inferiores imperandô virtutem superiorem non inveniunt in iis rationem formalem sui motivi; neque enim v. g. timor inferni in articulo mortis imperandô actum charitatis perfectæ reperit in actu charitatis rationem sui motivi formalis. Et ideo imperat talem actum charitatis tantùm indirectè, nempe *excitandô* mentem ad considerandа & amplectenda motiva charitatis. Econtra charitas in virtutibus inferioribus omnibus reperit rationem formalis sui motivi, nempe *rationem aliquam generican*, qua & placeant Deo, & ducant ad Deum. Itaque virtutes inferiores imperat non tantùm *indirectè* excitandô mentem ad earum motiva considerandа & amplectenda, sed etiam *directè*, eas virtutes ex suo proprio motivo, in virtutibus reperibili, eliciendô, & in iis tanquam in materia propria per modum formæ universalis operandô. Necesse autem est, & cuilibet formæ essentiale, ut intrinse-

cè ordinetur, & petat ordinari ad ſuam materiam. Ergo etiam charitas eſſentialiter ordinatur, & petit ordinari ad omnes virtutes, quarum eſt forma.

54. Hallucinatio 54. *Eſt certum, quòd non omne opus bonum ſit à charitate præceptum.* f. 29. N. 39.

Animadverſio. Verum quidem eſt, quòd non omne opus *ex ſuo genere* bonum, *imperfectè* bonum, & præciſe *in eſſe morali* bonum, imperetur & procedat à charitate. Econtra quòd omne opus *perfectè* bonum, & in conſideratione Theologica bonum, neceſſariò ſaltem *virtualiter* imperetur & procedat à charitate, ſuperiùs *Animadv.* 47. ſufficienter oſtenſum eſt. Ex eo enim, quòd omnia opera meritoria vitæ æternæ debeant *virtualiter* à charitatis actu prævio procedere, non ſequitur, quòd ſint formaliter actus charitatis. Virtutes enim denominantur à motivo explicitè importato & immediato.

55. Hallucinatio 55. *Si omne opus bonum foret præceptum à charitate, nulla daretur vera legis obedientia ſine charitate; quod eſt damnatum in Bajo.* f. 29. N. 39.

Ani-

Animadverſio. Jam in priori *Animadv.* & in *Animadv.* 47. oſtenſum eſt, quòd non omne opus *imperfectè bonum* neceſſariò imperetur & procedat à charitate. Oſtenſum etiam eſt *Animadv.* 46. & 47. quòd nec juſtitia, nec obedientia, nec fides, nec ſpes, ſint perfectè bona, aut habeant rationem *perfectæ virtutis* ſine charitate. Itaque datur quidem vera obedientia legis ſine charitate; ſed illa *vera obedientia*, ſic dicta relatè ad ſuum motivum proprium ac proximum, non habet rationem *perfectæ*, ſeu *veræ virtutis* ſine charitate. Hæc imperita argumentatio P. Virgilii oſtendit, quòd ignoret ſtatum controverſiæ in cauſa Bajana. Addo; à multis confundi obedientiam *totius legis*, & obedientiam particularem *circa unam legem.* Si enim ſermo eſſet de obedientia *totius legis*, manifeſtum foret, obedientiam totius legis ſine charitate eſſe non poſſe, cùm utique *in tota lege* includatur lex charitatis.

Hallucinatio 56. *Si omne opus bonum eſſet præceptum à charitate, ſequeretur, quòd peccator nihil boni operis faceret ſperandô, credendô, orandô &c.* f. 30. N. 39. 56.

Animadverſio. Iterum P. Virgilius omnia

omnia confundit, non distinguendo inter opus *perfectè bonum*, & *imperfectè bonum*. Hoc operari potest sine charitate; illud sine charitate operari non potest, prout *Animadv.* 47. ostensum est. Addo; hanc ratiocinationem P. Virgilii etiam ex alia causa esse vitiosam. Ex eo enim; quòd gregarius miles, aut civis possit *suâ sponte* operari aliquod bonum militare vel politicum, non sequitur, ad Ducem vel Principem non pertinere, ut ordinet ac imperet omne genus bonorum in militaribus ac politicis. Sic ergo ex eo, quòd liberum hominis arbitrium possit operari aliquod bonum morale sine charitate, minimè sequitur, ad charitatem tanquam *reginam, matrem* & *formam omnium virtutum* non pertinere, ut ordinet, imperet, & disponat *omnes virtutes*.

57. Hallucinatio 57. *Si omne opus bonum præciperetur à charitate, sequeretur, quòd omne opus bonum esset charitas; quod est damnatum in Bajo.* f. 30. N. 39.

Animadversio. Id verum esset, si omne opus bonum imperaretur à charitate *elicitivè*. Non autem, si omne opus bonum, meritorium vitæ æternæ, de quo solo est quæstio, solùm mediatè & virtualiter imperatur à charitate. Tunc

actus

actus imperatus dicitur imperari *elicitivè*, quando motivum formale ac explicitum actus imperantis ingreditur intrinsecè actum imperatum, ita ut actus imperatus formaliter eliciatur ex motivo actus imperantis, prout fit, si quis ex motivo charitatis dat eleemosinam. At verò si actus imperans tantùm determinat mentem ad considerandà & amplectenda motiva actui imperato propria, atque eorum intuitu operandi, motivum actûs imperantis non ingreditur intrinsecè formalitatem actûs imperati *formaliter*, sed tantùm *virtualiter*, inquantum actus imperans determinavit potentias ad evolvendam quamdam seriem actuum, v. g. pœnitentialium, aut justitialium, quin homo in illa serie actuum amplius cogitet de motivo actûs imperantis. In hoc ergo sensu actus imperati dependent quidem ab actu imperante *virtualiter*, non tamen exinde dependent *formaliter*; & ideo non semper opus bonum imperatum à charitate est charitas, quia omnes actus humani in genere virtutis vel vitii suam denominationem sortiuntur à motivo intrinseco actûs, formaliter & explicitè importato. Itaque etiam hæc argumentatio P. Virgilii monstrat, quòd non benè calleat principia Theologiæ. Vide *Animadv.* 46. 47. & 54. ubi ostensum est, nul-

lum dari opus meritorium vitæ æternæ, quin saltem virtualiter per modum actus imperati procedat ex præcedente actu charitatis.

58. Hallucinatio 58. *Quando D. Thomas docet, omnia virtualiter esse referenda in Deum, intelligit sub hac virtuali relatione quemvis actum virtutis, quatenus quivis se habet ut medium ad charitatem; medium autem ex seipso habet relationem ad finem.* f. 32. N. 40.

Animadversio. Hic error P. Virgilii est *crassus*. Nam D. Thomas per *virtualem relationem* actuum humanorum non intelligit eam, quam habent actus & objecta *ex sua natura*, ita ut ex se ordinentur ad finem, v. g. oratio, eleemosina; sed intelligit eam relationem, quam habent ex præcedente actu voluntatis, qui per aliquam sui virtutem à se relictam in actum imperatum influit. Sicut enim *intentio virtualis* non est præcisè intentio *materialis*, quatenus opus ex *seipso* petit ordinari ad finem, v. g. oratio, collatio Sacramenti, celebratio Missæ &c. ita etiam virtualis ordinatio operum ad finem non est præcisè illa relatio, quam opus ex *seipso* habet ad finem, sed est illa relatio, quam opus habet ex actu præcedente voluntatis, suos actus ad finem supernatura-

lem

lem ordinantis, & per aliquem ſui effectum, ſeu virtutem relictam in actum imperatum influentis. Id centies D. Thomas repetit; id nôrunt quivis tyrones Theologiæ; ut proin certiſſimum ſit, dependentiam *virtualem* operum meritoriorum à charitate in ore Patrum & Theologorum dicere aliquam relationem ac ordinem, quem habent ex præcedente actu dilectionis, ſeu charitatis. D. Thomas 2. 2. q. 23. a. 7. c. manifeſtè diſtinguit tria genera operum ſeu actuum humanorum. Unum, quando actus poſitivè abducit ab ultimo fine. Secundum, quando actus eſt ordinabilis ſeu referibilis in ultimum finem, ſed ab actu voluntatis non refertur. Tertium, quando actus non ſolùm eſt referibilis, ſeu ordinabilis in finem, ſed etiam ad eum refertur. In primo caſu dicit, opus eſſe malum, etſi ex ſua natura ex ſeipſo habeat ſpeciem virtutis ſeu relationem ad finem. In ſecundo caſu dicit, illud opus habere relationem virtutis imperfectæ. In tertio caſu dicit, quòd illud opus ſit opus veræ virtutis, quia ad finem refertur à charitate. *Duplex*, inquit, *eſt bonum. Unum eſt verè bonum, utpote ordinabile quantum eſt in ſe ad principale bonum, quod eſt ultimus finis. Aliud eſt apparens bonum, &*

non

non verum, quia abducit à finali bono. Si bonum non sit verum sed apparens, virtus etiam, quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis. Sicut non est vera virtus avarorum prudentia, justitia, temperantia, fortitudo (ex inordinato appetitu lucri exercita.) *Si verò illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale & perfectum bonum; & secundùm hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest.* Et ad 1. *Sine charitate potest quidem esse aliquis actus (v.g. fidei vel spei) esse bonus. Bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad finem ultimum.* Et ad 2. *Non potest esse simpliciter vera justitia aut vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem.* Et a. 8. *Manifestum est, quod per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem, & pro tanto dicitur esse forma virtutum.* Et ad 2. *Charitas dicitur finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum.* Ex his ergo manifestum est, quòd D. Thomas per virtualem relationem seu ordinationem operum ad Deum non intelligat eam, quam actus v. g. fidei, & spei, habent ex *seipsis*, sed eam, quam habent actualiter vel virtua-

tualiter ex præcedente actu charitatis. Ubi etiam notandum est; quòd D. Thomas non neget, prout Bajus facit, ejusmodi actus, non procedentes saltem virtualiter ex præcedente actu charitatis, esse *veram fidem*, *veram spem*, *veram justitiam*, *veram castitatem*, *veram obedientiam*, hujus enim expressè docet contrarium, asserendô, quod v. g. conservatio civitatis, etiamsi non referatur ad finem ultimum, sit tamen *vera virtus*, sed negat, quòd sit *simpliciter vera relatè ad finem* virtutis remotum seu *ultimum*: sumendô Tò *simpliciter* pro Tò *totaliter*, quia non est sine admixtione imperfectionis, tollentis adæquatam & principalem rationem virtutis perfectæ. Itaque patet, quòd P. Virgilius in hoc puncto Lectores enormiter fallat, ingenerandô ipsis erroneam acceptionem hujus termini *virtualis relatio*, regulantis innumeros actus humanos. Sæpe enim recurrit hic terminus; *virtualis relatio* actuum humanorum ad Deum. Addo; hoc loco à P. Virgilio observari, quòd *sicut hæretici* Scripturam, ita Bajanistæ & Jansenistæ Augustinum clamitent. Veræ observationi jungo observationem aliam; quòd Calvinistæ, Lutherani & Patroni amoris desintereſſati *nullum Patrum magis*, *quàm Augustinum* horreant.

Hallu-

59. Hallucinatio 59. *Author Ideæ à num.* 36. *docet, quòd voluntas placendi Deo per opera grata ſit ipſiſſimus amor Dei, nec ad hunc actum amoris requiratur actus ſub explicita & reflexa formalitate amoris. Certum autem eſt, quòd voluntas exercendi opera grata Deo præciſivè ab explicito motivo charitatis non ſit vera charitas Theologica; quia ſic docuit Bajus, & ob hoc confixus eſt. Bajus enim voluit, quòd inter charitatem & iniquitatem nihil mediet per modum veræ virtutis; ſeu quòd omnis actus virtuoſus & omnis vera legis obedientia ſit charitas Theologica.* f. 32. & 33. N. 41.

Animadverſio. In his lineis P. Virgilius multipliciter & enormiter errat.

Primò. Falſum eſt, quòd in amante formalitas amoris debeat eſſe reflexa, ita ut amans *reflexè cognoſcat*, ſe amare. Neque enim in amante requiritur, ut *reflexè cogitet*, ſe amare. Idem obſervare licet in omnibus virtutibus. Neq; enim juſtus, caſtus, temperans, credens ſperans, obediens, &c. tenetur *reflexè* cogitare, quòd ponat actum ejusmodi &c. Virtutes omnes nil aliud ſunt, quàm *conſtans ac perpetua voluntas operandi actus virtutis*, & illa voluntas nil aliud im-

importat, quàm reſpectum *directum* ad objectum materiale & formale ſeu motivum virtutis. Ille reſpectus directus *in actu exercito* haberi poteſt *ſine reflexione* ad ſuum actum internum, quò reſpicitur objectum materiale & formale virtutis. Sic ille, qui credit, ſperat, vel exercet actum juſtitiæ, miſericordiæ, vel adminiſtrat Sacramentum, vel conſecrat Evchariſtiam, vel recitat Breviarium, vel init contractum v. g. venditionis, &c. non tenetur reflexè cogitare de ſuo actu interno, ita ut intus in animo *reflexè* cogitet: *Ego elicio actum fidei, ſpei, &c. Ego habeo intentionem conferendi Sacramentum, conſecrandi, recitandi Breviarium, &c. Ego habeo voluntatem vendendi, &c.* Hujusmodi reflexiones non ſunt neceſſariæ, ſed ſufficit attentio *directa* ad objectum materiale & formale actûs.

Secundò. Falſum eſt, quòd *formalitas amoris* debeat eſſe *explicita.* 60.
Sufficit enim exercere actum amoris per terminos convertibiles cum amore. Ipſemet P. Virgilius affert varias amoris formulas Num. 14. 24. 30. 38. etiamſi in illis non importetur formalitas explicita amoris quoad ejus objectum tam ſpeculativum quàm practicum.

Ter-

61. Tertiò. Falsum est, quòd idem sit, *motivum formale amoris debere esse explicitum*, & quòd *formalitas amoris debeat esse explicita*, & quòd *formalitas amoris debeat esse reflexa*, quæ tria inter se diversissima P. Virgilius hoc loco confundit. Formalitas amoris est *tendentia voluntatis* respectiva totius objecti adæquati charitatis, non solius objecti formalis seu motivi, sicut formalitas hominis seu humanitas non est sola anima.

62. Quartò. Falsum est, quòd in actibus amoris non requiram *explicitum motivum formale* amoris. Expressè enim doceo; quòd actus humani specificentur à suo immediato objecto formali, seu motivo, *explicitè importato*, quam meam doctrinam ipsemet P. Virgilius adeo non ignorat, ut eam Num. 26. approbet, & in argumentum assumat. Non autem erat necessarium, nec conveniens, ut in singulis foliis necessitatem hujus doctrinæ ac requisiti cum fastidio lectoris repeterem, præsertim ubi tantùm erat quæstio de *objecto materiali practico* amoris, vel de *constitutivo materiali* amoris, utrum videlicet amor dicat quoad suum esse materiale solam voluntatem exercendi actus aliunde vi

alio-

aliorum mandatorum debitos, vel etiam gratuitos, ita ut amans teneatur in amore amicitiæ includere propositum exercendi *universim opera Deo grata*, aliunde indebita, ubi in casu particulari ea exegerit ordo charitatis, quod requisitum essentiale amoris amicitiæ adversarii negant. Insistendô proin huic puncto, differentiali & essentiali controversiæ, rectè posui, præsuppositîs aliis utrinque concessîs eum esse verum amorem charitatis, qui *voluntate de se constanti ac perpetuâ* se non solùm extenderet ad actus vi aliorum mandatorum debitos, sed etiam ad actus amicitiæ gratuitos, aliunde indebitos, hoc est, ad opera Deo grata, ubi ea exegerit ordo charitatis.

Quintò. Falsum est, quòd Baii 63. error *solùm* in eo consistat, eò quòd doceat, omnem legis obedientiam esse charitatem Theologicam. Error namque illius hac in re in duobus consistit. In primis, quòd quælibet actio bona sit charitas. Secundò, quòd charitas NB. *nil aliud* sit, quàm bona voluntas. Quorum utrumque in nostra & Ecclesiæ doctrina falsum est. Dantur enim opera *ex suo genere*, & *in esse morali*, & *imperfectè bona*, quin procedant ex charitate, prout *Animadv.* 46. 47. 54. 57.

& 58. oſtenſum eſt. Et *charitas infuſa per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris* NB. non conſiſtit in ſola bona voluntate operandi actus amicitiæ ſeu opera grata Deo, ſed conſiſtit in ejusmodi bona voluntate ùt *informatâ* per gratiam ſanctificantem, quam nec admiſit, nec agnovit Bajus.

64. Sextò. Falſum eſt, quòd ex noſtra ſententia ſequatur, nullum dari opus bonum inter vitium & charitatem medium. Nam fides, & ſpes informis, & hujusmodi aliæ virtutes informes, ſunt quidem actus ex *ſuo genere* boni, nec habent ex ſuo objecto & motivo immediato rationem vitii, ſed nec habent rationem *perfectæ* virtutis, nec etiam habent *ſimpliciter*, hoc eſt, *totaliter*, adæquatam rationem perfectæ virtutis; quia in iis deeſt ordo ad finem ultimum, quem ordinem tribuit ſolus actus charitatis.

65. Hallucinatio 65. *Nuda voluntas virtuosè & chriſtianè vivendi, aut opera Deo grata exercendi non eſt charitas Theologica, cùm etiam virtutes morales ſint Deo gratæ.* f. 34. N. 42.

Animadverſio. P. Virgilius omnia confundit. Scripſi ego; amorem amicitiæ hoc exigere, ut amicus velit ami-

amico exhibere *indefinitè* obſequia gratuita, illi accepta, & aliunde indebita, ubi in caſu particulari & circumſtantia illa exegerit rectus ordo amicitiæ & charitatis. At P. Virgilius calumniatur, me hoc docere, quòd particulare quodlibet obſequium acceptum Deo ſufficiat ad conſtituendum actum & habitum charitatis. Hoc non eſt argumentari, ſed calumniari, cùm pluribus locis ex profeſſo doceam, amorem non ita eſſe limitatum, ut ad amorem amicitiæ ſufficiat unum vel alterum tenue obſequium, præſertim vi aliorum mandatorum debitum; ſed requiri, ut verus amor amicitiæ nullos agnoſcat obſequiorum limites, ſed ſe extendat ad *omnes* actus Deo acceptos, ubi eos in particulari caſu & circumſtantia ſub gravi vel levi diſplicentia amici exegerit rectus ordo amicitiæ & charitatis.

Hallucinatio 66. *Ipſemet Author* 66.

Ideæ expreſsè docet, quòd actus non ſumat ſpeciem, niſi à motivo ſpecifico explicitè intento. Ergo nuda voluntas vivendi chriſtianè, quæ poteſt aſſumi ex metu inferni, vel ſpe præmii, non eſt actus charitatis Theologicæ. f. 34. N. 43.

Animadverſio. Iterum P. Virgilius calumniatur, quaſi ſcripſerim, *ſolam voluntatem vivendi chriſtianè* eſſe charitatem Theologicam. Hoc aſſerere eſt aperta impoſtura, qua ſuos lectores fallat. Scripſi ego; charitatem Theologicam eſſe *voluntatem placendi Deo* non ſolùm per obſervantiam aliorum mandatorum & vitam cæteroquin à populo vocari ſolitam *Chriſtianam*, ſed etiam ac potiſſimùm per opera quæcunque Deo accepta, etiam *gratuita*, & *aliunde indebita*, quæ in caſu particulari & circumſtantia ſub gravi vel levi diſplicentia exegerit *rectus ordo amicitiæ & charitatis*. Hæc bona indefinita voluntas non poteſt haberi ex motivo ullo alio, niſi ex motivo amicitiæ ſeu charitatis, eoipſo quòd pro regula & menſura exhibendorum gratuitorum operum ſumat legem amicitiæ & modum gravis vel levis diſplicentiæ in ordine ad conſervationem vel diſſolutionem unitivæ amicitiæ ſeu charitatis. Itaque *univerſalitas* bonorum operum eſt, quæ facit amicum Dei & Chriſtianum *perfectum*, & conſtituit amatorem Dei amore charitatis, non *particularitas* bonorum operum, quæ præciſe facit Chriſtianum. Et in hoc ſenſu verum eſt, quòd

ille

ille diligat Deum, qui obſervat *omnia* mandata, etiam amoris amicitiæ juxta illud 1. Joan. 2. v. 5. *Qui ſervat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Et Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Videat P. Virgilius, an etiam Chriſtus & ejus Cancellarius S. Joannes Bajaniſtæ ſint, quia obſervantiam mandatorum *perfectam charitatem* vocant.

Hallucinatio 67. *Si voluntas chri-* 67.
ſtianè vivendi jam foret charitas Theologica, deberet etiam manere charitas Theologica, quando illa voluntas chriſtianè vivendi, ex metu inferni aſſumpta, foret contracta ad ſpeciem timoris. Sed hoc eſt impoſſibile, ut timor ſit charitas. f. 35. N. 44.

Animadverſio. Quòd voluntas ſola chriſtianè vivendi ſine efficaci voluntate exercendi actus amicitiæ gratuitos ſit charitas Theologica, non pertinet ad meam doctrinam, ſed ad P. Virgilii calumniam, prout *Animadv.* 65. & 66. oſtenſum eſt.

Hallucinatio 68. *Charitas eſt ſu-* 68.
prema virtutum, & voluntas vivendi chriſtianè, aut ſe ſalvandi, non eſt ſuprema virtus, immo ea voluntas poteſt elici à peccatore in ſtatu peccati mortalis. Ergo certum eſt, quòd voluntas ſe ſalvandi aut vivendi chriſtianè,

nè , non sit charitas Theologica. f. 35. N. 45.

Animadversio. Repetit P. Virgilius suam gratuitam calumniam. Manifestè enim ad charitatem amicitiæ Theologicam requisivi , ut copulativè concurrerent voluntas se salvandi, & vivendi christianè, & placendi Deo per actus amicitiæ *gratuitos* , seu opera Deo *quæcunque* accepta , ubi ea petit ordo charitatis & amicitiæ. Id loquuntur omnes meæ *Regulæ amoris practicæ* , ita ut P. Lienhardius me non reprehenderit , prout facit P. Virgilius , quòd charitatem nimis restringam , sed quòd ejus obligationem nimis extendam ad *quosvis actus Deo placitos.* Mentem meam haud dubiè meliùs assecutus est P. Lienhardius, quamvis in hoc non bene attenderit , à me non statui obligationem , vi amoris exhibendi Deo opera *supererogatoria* , & omnia , quæ *ex suo genere sunt meri consilii* , sed duntaxat illa , quæ in casu particulari & circumstantia sub gravi vel levi displicentia amici exegerit rectus ordo amicitiæ & charitatis. Hinc actus amoris in eo sensu divisi in essentiales & accidentales, quales etiam reperiuntur in recto ordine charitatis erga proximum. Miror

quòd

quòd adversarii non capiant omnimodam paritatem inter charitatem Dei & charitatem proximi. Illius objectum sunt opera omnia charitatis erga Deum, aliàs indebita, sicut objectum charitatis erga proximum sunt omnia opera charitatis erga proximum, aliàs titulo justitiæ &c. indebita, ita tamen ut in casu particulari ad ea solùm homo obligetur, ad quæ hìc & nunc adstringit ordo charitatis.

Hallucinatio 69. *D. Thomas, quando asserit, quòd charitas habeat pro objecto ultimum finem vitæ humanæ, tantùm loquitur de objecto terminativo & imperii, quod sè habet per modum termini seu objecti charitatis imperantis, non verò de objecto motivo, seu specificationis.* f. 36. N. 46. 69.

Animadversio. Hæc responsio P. Virgilii prosus imperita est, quia evertit totaliter ejus doctrinam. Si enim finis ultimus, seu beatitudo essentialis est *objectum terminativum charitatis imperantis*, seu *objectum imperii*, manifestum est, in actu charitatis essentialiter includi *imperium*, seu *actum imperantem* tendentiæ seu appetitûs liberi ad finem ultimum. Ridiculum enim foret dicere, quòd charitas imperet *objectum* seu ipsum *finem* suorum actuum; objectum & finis præsup-

ponuntur, non imperantur. Soli actus imperantur, tendentes ad objectum. Itaque hæc responsio prorsus imperita est, quia reipsa ponit in charitate tendentiam seu appetitum ad beatitudinem, ita ut illa tendentia se habeat per modum *actûs imperati*, tamen *intrinseci* actibus charitatis. Cæterùm quamvis ille finis ultimus sit *objectum motivum* & specificativum actûs considerati sub ratione amoris concupiscentiæ, non est tamen specificativum in ratione charitatis seu amicitiæ, sed *tantùm* in ratione amoris concupiscentiæ, qui ùt proximè dicetur, constituit tantùm *esse materiale* charitatis. Vide *Animadv.* 20. 21. 22. 71. 72. 74. 76. &c.

70. Hallucinatio 70. *Juxta D. Thomam charitas tendit in Deum, ut in eo sistat, non ut ex eo nobis aliquid proveniat. Ergo Deus non est objectum charitatis, ùt nobis bonus.* f. 36. 37. N. 46.

Animadversio. Verum est, quòd charitas per appetitum seu amorem concupiscentiæ non tendat in Deum, ut *ex eo* nobis *aliquid* proveniat *distinctum à Deo*, v.g. divitiæ, honores, voluptates, aut alia quædam beatitudo creata. Tendit tamen in Deum, ut ipse nobis obveniat, tanquam beatitudo nostra essentialis ac sub-

ſubſiſtens, homini in viſione intuitiva participata *per eſſentiam* ſuam propriam, & non per ſpeciem creatam vicariam ſui. Vide textus D. Thomæ *Animadv.* 20. 21. 22. & 72. 73. 74. 76.

Hallucinatio 71. *Hæc formula amoris, qua dico: O Deus meus & omnia; te æſtimo ac præfero omnibus aliis rebus creatis; te unicum his omnibus contemptis ambio; ſervabo mandata tua, quia merces mea es magna nimis. non eſt formula amoris amicitiæ, ſed tantùm formula amoris concupiſcentiæ, quia in iſta formula non continetur actus benevolentiæ erga Deum, quod tamen requiritur ad amorem amicitiæ.* f. 37. N. 47. 48. 49. 50. 71.

Animadverſio. Hæc imperita objectio *P. Virgilii & Weiſſii Juvavienſis Minoritæ* fundatur in eo, quòd non advertant, in propoſito ſervandi omnia mandata includi etiam propoſitum placendi Deo per actus amoris amicitiæ practicos, ex ſua natura gratuitos, & vî aliorum mandatorum indebitos. Si enim actus amoris amicitiæ practici ſunt ex ſua natura gratuiti, & vî aliorum mandatorum indebiti, evidens eſt, quòd hi actus ſint actus benevolentiæ erga Deum, qui-

bûs volumus Deo bonum. Itaque impossibile est, ut ille qui vult servare omnia mandata, præsertim charitatis, & scit, quòd charitas amicitiæ essentialiter tendat ad actus gratuitos, seu benevolentiæ, non simul velit exhibere Deo actus benevolentiæ. Certè confunduntur adversarii ex verbis Christi & S. Joannis. Ille Joan. 14. v. 21. dicit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et S. Joannes 1. Ep. 2. v. 5. dicit: *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est.* Confunduntur etiam ex *Regulis amoris practicis*, quas in *Idea* posui, ubi pleræque illæ regulæ amoris practicæ tendunt ad actus benevolentiæ. Cùm igitur propositum, exhibendi Deo actus benevolentiæ, jam dicat benevolentiam *actualem* vel *habitualem*; sicut propositum efficax, seu *constans ac perpetua voluntas cuique tribuendi jus suum per actus justitiæ practicos*, est vera justitia *in actu vel habitu*, clarum est, quòd propositum servandi omnia mandata in iis, qui intelligunt naturam primi mandati, quòd ex natura amicitiæ tendat ad actus gratuitos Deo placitos, seu actus benevolentiæ, *jam sit ipso facto* aliquis actus benevolentiæ, quo amans Deo vult non solùm *speculativè* bonum suum intrinsecum, sed etiam *practicè*

omne

omne bonum extrinſecum, ad illud cooperandô etiam cum detrimento omnium bonorum creatorum. Hinc ſequitur, quàm *pernicioſa* ſit in praxi doctrina, quòd vî primi mandati homo non obligetur ad actus amoris practicos, vî aliorum mandatorum indebitos.

Hallucinatio 72. *Nullo probabili* 72. *fundamento innititur ſententia, quòd amor amicitiæ ſit amor mixtus ex benevolentia & concupiſcentia; quia author pro hac ſententia nullos allegat authores, nec forſan poterit aliquem allegare; quia ego ſaltem neminem legi, qui hoc dicat.* f. 39. 40. N. 51.

Animadverſio. P. Virgilius iterum monſtrat, quàm curta illi domi ſupellex ſit. Hanc ſententiam, quòd in actu amicitiæ erga Deum præter benevolentiam, de qua nemo dubitat, etiam involvatur deſiderium ultimi finis, ſeu amor concupiſcentiæ, in terminis refert, & amplectitur S. Bonaventura; eandem tenet P. Maurus Soc. Jeſu. & alii plurimi, prout oſtendi *Animadv.* 26. Eandem pariter in terminis docet S. Thomas in 3. diſt. 27. q. 2. a. 1. c. & ad 1. ubi ex inſtituto quærit, an charitas ſit concupiſcentia, & reſolvit, quòd charitas quidem

dem includat amorem concupiſcentiæ & amorem benevolentiæ, putà tanquam partes ſuas materiales, iisdem tamen ſuperaddat rationem formalem amicitiæ. Sic habet: *Primò, includit amor concupiſcentiam amati, qua deſideratur ejus præſentia. Secundò includit amor benevolentiam, ſecundùm quam aliquis amato bona deſiderat. Amicitia verò addit ſocietatem quandam amantis & amati in amore. Unde patet, quòd amicitia eſt perfectiſſimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens. -- Dicendum, quòd quælibet amicitia concupiſcentiam ſeu deſiderium includit.* Idem 2. 2. q. 26. a. 3. ad objectionem, quòd per charitatem quis magis ſeipſum, quàm Deum amet, quia vult frui Deô, qui eſt ſummum bonum, quod homo ſibi velle poteſt, ſic reſpondet: *Dicendum, quod hoc, quòd aliquis* (per charitatem) *velit frui Deô, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiſcentiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiſcentiæ; quia majus eſt in ſe bonum Dei, quàm participare poſſumus fruendo ipsô.* P. Maurus ſic ſcribit: *Actus charitatis non eſt amor ſolius concupiſcentiæ; nec eſt amor ſolius benevolentiæ, ſed amicitiæ.* Et D. Bonaventura dicit:

dicit: *Quidam voluerunt dicere, quòd amor charitatis, cum sit amor gratuitus, non intueatur præmium. Aliis autem videtur, quòd ad affectum charitatis non tantùm spectat amare Deum amore amicitiæ, sed etiam amore concupiscentiæ.* Dein S. Doctor solvit more suo omnes objectiones contra hanc posteriorem sententiam, quod est signum, eam à se approbari & adoptari. Si verò status quæstionis formetur in terminis synonimis, apud omnes ferme Theologos non admodum novellos, in confesso est, desiderium beatitudinis, quod à me & ab ipsis adversariis vocatur amor concupiscentiæ, includi in actu charitatis. Ipsa definitio charitatis, à Magistro Sententiarum ex S. Augustino l. 3. de doct. Christ. c. 10. tradita, & ab omnibus Theologis antiquioribus v.g. Alberto M., D. Thoma, Bonaventura &c. recepta, hunc amorem concupiscentiæ in ipsa fronte exprimit. Definitur enim, quòd sit *motus animi ad fruendum Deo propter ipsum Deum.* Textus S. Augustini hunc amorem totîs præcordiîs spirant, prout in Ideæ ostensum est. Textus D. Thomæ *Animadv.* 22. & 74. adducti idipsum loquuntur.

Hallu-

73. Hallucinatio 73. *Nomen amicitiæ ex Aristotele, Cicerone, & D. Thoma importat puram benevolentiam.* f. 40. N. 52.

Animadversio. Id apertè falsum est. Nam Aristoteles l. 8. Eth. c. 12. ait: *Est amicitia filiis erga parentes, & hominibus erga Deos tanquam bonum quoddam; beneficia enim maxima contulêre, habétque hujusmodi amicitia & jucunditatem & utilitatem. Viro itemì & uxori amicitia esse videtur. Mutuò enim sibi opitulantur, atque ob id & utilitas & jucunditas esse in hac amicitia videtur.* Cicero de officiis ait *Amicitiam non spe mercedis* (distinctæ) *sed quòd omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. In hac omnia insunt, quæ homines expetenda putant; ut cùm hæc adsint, beata vita sit.* D.Thomas 2. 2. q. 23. a. 1. expresè dicit: *Amor amicitiæ est cum benevolentia; sed benevolentia non sufficit ad rationem amicitiæ.* Et 2. 2. q. 26. a. 2. c. *Amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis.* Et 2. 2. q. 25. a. 12. *Amicitia charitatis super communicatione beatitudinis fundatur.* Ac certè, satis per se clarum est, puram benevolentiam, etiam reciprocam, v. g. inter duos veræ sapientiæ amantes, quo-

rum

rum unus existat Romæ, alter in Germania, esse posse, etsi inter eos nulla intercedat amicitia.

Hallucinatio 74. *Amor amicitiæ dicitur à D. Thoma facere communicationem bonorum, inquantum amicitia facit mutuam communicationem bonorum, non ex affectu proprii interesse, sed ex affectu purè benevolo.* f. 42. N. 54. 74.

Animadversio. Hæc expositio D. Thomæ est manifestè falsa. Nam D. Thomas in textibus proximè relatis dicit; quòd amicitia inter hominem & Deum *fundetur* in cõmunicatione beatitudinis; nihil autem fundatur in sui effectu. Dein S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 2. c. dicit: *Deus ex charitate diligitur, ùt beatitudinis causa.* & 2. 2. q. 23. a. 1. *Cùm sit aliqua communicatio hominis ad Deum; secundùm quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari; amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas.* Et 2. 2. q. 25. a. 12. *Amicitia charitatis super communicatione beatitudinis fundatur; in qua communicatione unum consideratur ùt principium influens beatitudinem, scilicet Deus. -- Id quod est beatitudinem influens, est ea ratione*

tione diligibile; quia est beatitudinis causa. Et 1. q. 60. a. 5. ad 4. *Inquantum Deus est bonum beatificans omnes supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione charitatis.* Hæc omnia ostendunt, quòd amor amicitiæ non sit actus puræ benevolentiæ, & quòd communicatio beatitudinis non sit præcisè *effectus* amicitiæ sine affectu proprii interesse, sed potiùs motivum & finis.

75. Hallucinatio 75. *Deus non amat nos amore concupiscentiæ, & dum dicitur omnia operari propter semetipsum Sap. 16. seu ad suam gloriam, non est intelligendum, quòd Deus omnia referat ad suam gloriam, quasi ad cõmodum & utilitatem propriam; sed quasi ad commune bonum nostrum.* f. 42. N. 55.

Animadversio. Hæc expositio Scripturæ non potest admitti. Quia hôc modô Deus suam gloriam extrinsecam vellet tanquam bonum essentialiter subordinatum ad nostrum bonum. Si autem dicatur, quòd Deus nos diligendo intendat bonum sibi & homini commune, eoipso evidens est, quòd in amicitia Dei ad hominem includatur intentio *proprii boni & amici*, adeoque quòd in illa amicitia includatur amor concupiscentiæ & amor benevolentiæ. Itaque sic argumentor:

Ami-

Amicitia Dei ad hominem essentialiter involvit amorem concupiscentiæ & benevolentiæ: Ergo etiam amicitia hominis ad Deum simul utrumque amorem includit. Cæterùm quòd nos Deus amore concupiscentiæ amet, est receptum apud Theologos. Valentia S. J. de char. d. 3. q. 1. p. 2. ad object. 1. ubi objicitur, quòd in Deo videatur potius amor concupiscentiæ, quàm benevolentiæ; non negat, in eo concurrere amorem concupiscentiæ & benevolentiæ, quia, ùt ait, *Deus potest simul homini velle bonum, & sibi bonum.* Turrianus S. J. disp. 66. dub. 3. §. tandem, ait: *Doctores communiter docent, Deum amorem amicitiæ habere erga homines, quamvis erga creaturas irrationales solùm concedant esse in Deo affectum amoris concupiscentiæ. Oportet autem explicare, qua ratione sit affectus amicitiæ in Deo erga homines. Et dicendum quidem omnia amare propter semetipsum, tanquam ultimum finem rerum omnium, cum quo stare potest, ut velit homini bonum ex complacentia ipsius. An verò hoc fiat eodem actu, vel diverso secundùm rationem, non satis explicant Theologi. Probabilius autem apparet, esse duos secundùm nostrum modum concipiendi, ut docuit Vasquez* 1. *p. disp.* 82. *c.* 2. *n.* 9.

Itaque hi Theologi admittunt, in amicitia Dei ad hominem, simul includi amorem concupiscentiæ & benevolentiæ.

76. Hallucinatio 76. *D. Thomas, quando in 3. dist. 27. q. 2. a. 2. ad 1. asserit, quòd quælibet amicitia concupiscentiam includat, intelligendus est de concupiscentia latè sumpta pro desiderio, boni non concupiti nobis, sed alteri.* f. 43. N. 56.

Animadversio. Hæc expositio est manifestè falsa. Nam *desiderium boni, non concupiti nobis, sed alteri,* est benevolentia. Ergo D. Thomas sumeret nomen *concupiscentiæ* pro nomine *benevolentiæ*, quod utique nec umbram habet verisimilitudinis; cùm S. Thomas nomen concupiscentiæ & benevolentiæ constanter inter se contradistinguat & exactè definiat. Sed, quod P. Virgilium penitus confundit, est ipsa S. Doctoris explicatio, quam in ipsissimo articulo hoc circa nomen concupiscentiæ dat. In 3. dist. 27. q. 2. a. 2. c. sic scribit: *Quia amor unit quodammodo amantem amato, ideo amans se habet ad amatum quasi ad seipsum, vel ad id, quod est de perfectione sui. Ad seipsum autem & ad ea, quæ sui sunt, hôc modô se habet, ut primo velit sibi præsens esse, quidquid de perfectione sua est. Et ideo amor in-*

includit concupiſcentiam amati, qua deſideratur ejus præſentia. Secundùm quod homo ad amatum afficitur, amor benevolentiam includit, ſecundùm quam aliquis amato bona deſiderat. Amicitia verò (amori concupiſcentiæ & benevolentiæ) *addit ſocietatem amantis & amati in amore. Sic ergo patet, quòd amicitia eſt perfectiſſimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, NB. omnia prædicta includens. Unde in genere hujusmodi ponenda eſt charitas, quæ eſt quædam amicitia hominis ad Deum.* Et ad 1. *Dicendum, quòd quælibet amicitia concupiſcentiam ſeu deſiderium includit, & aliquid ſuper eam addit.* En! quanta ex ipſo D. Thoma & ex eodem articulo expoſitionis Virgilianæ confuſio, & quidem in puncto decretorio.

Hallucinatio 77. *Quando S. Thomas dicit, quòd Deus magis ametur amore amicitiæ, quàm concupiſcentiæ, manifeſtè contradiſtinguit amorem concupiſcentiæ ab amore amicitiæ: Ergo amor amicitiæ non poteſt eſſe mixtus ex benevolentia & concupiſcentia, ſed pura benevolentia mutua.* f. 43. N. 56. 77.

Animadverſio. Imperita eſt hæc argumentatio. Ex eo enim, quòd totum diſtinguatur à ſuis partibus, præſertim ma-

terialibus, non ſequitur, quòd non includat ſuas partes. Amicitia eſt totum; partes materiales hujus totius ſunt amor concupiſcentiæ, & amor benevolentiæ. Forma totius, quæ partibus ſocialibus ſuperadditur, eſt unio ſocialis inter amantem & amatum. Ergo evidens eſt, quòd amor amicitiæ ſit quidem aliquid mixtum ex amore concupiſcentiæ & benevolentiæ, & tamen diſtinguatur ab utroque tanquam totum à parte. Sic homo eſt aliud, quàm corpus, aut anima; quia homo ſuperaddit unionem partibus. Chriſtus eſt aliud, quàm natura divina, aut natura humana; ſuperaddit enim unionem hypoſtaticam. P. Virgilius, dum dicit; amicitiam eſſe compoſitam ex pura benevolentia mutua, dupliciter errat. Nam inprimis manifeſtum eſt, mutuam benevolentiam duorum hominum doctorum, juſtorum, heroicorum &c. quorum unus eſt in Italia, alter in Germania, non eſſe amicitiam, ſi nullam habeant ſocietatem mutuam. Dein P. Virgilius ſuô argumentô ſemetipſum evertit. Si enim ex eo, quòd D. Thomas amorem concupiſcentiæ ab amore amicitiæ diſtinguat, inferri poſſet, amicitiam non eſſe compoſitam ex amore concupiſcentiæ, eôdem modô ſequeretur, amicitiam non

eſſe

esse compositam ex amore benevolentiæ; quia D.Thomas sæpe in pluribus locis amorem benevolentiæ ab amore amicitiæ distinguit. Sic 2.2. q. 23.a. 1. dicit: *Benevolentia non sufficit ad rationem amicitiæ.* Et in 3. dist. 27. q. 2. a. 1. c. *Primò, amor includit concupiscentiam amati, qua desideratur ejus præsentia; secundò, includit amor benevolentiam, secundùm quam aliquis amato bona desiderat. Amicitia verò addit societatem quandam amantis & amati in amore. Unde patet, quòd amicitia est perfectissimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens.* En! D.Thomas æqualiter distinguit amorem concupiscentiæ, & amorem benevolentiæ ab amore amicitiæ. Ergo vî argumenti Virgiliani amor amicitiæ ex neutro posset esse compositus.

Hallucinatio 78. *Amor veræ amicitiæ juxta Apostolum* 1. *Cor.* 13. *non quærit, quæ sua sunt. Ergo charitas non inincludit amorem concupiscentiæ.* f. 43. N. 55. 78.

Animadversio. Quòd Apostolus non loquatur de summo bono, manifestum est, quia etiam ipse cupiebat dissolvi & esse cum Christo. Loquitur ergo de bonis *privatis*, non de bonis *communibus*; quia

charitas amicitiæ vult omnia habere communia, juxta illud Act. 4. *Credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid NB. suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Tale autem bonum commune est Deus.

79. Hallucinatio 79. *Perfectio Chri-stiana non potest consistere in amore mixto ex benevolentia & concupiscentia. Nam* 1. *Deus, qui est forma perfectionis humanæ, non habet amorem concupiscentiæ.* 2. *Christus, utpote actu gaudens visione beatifica, non habuit amorem concupiscentiæ, cum tamen ille sit norma nostræ perfectionis.* 3. *Amor mixtus ex concupiscentia non est amor amicitiæ, quæ tamen requiritur ad perfectionem Christianam.* 4. *Perfectio Christiana non potest stare cum peccato: sed amor ex actu concupiscentiæ & benevolentiæ mixtus juxta authorem Ideæ potest stare cum peccato mortali, quia juxta illum non omnis actus charitatis justificat.* 5. *Perfectio Christiana non consistit in nuda voluntate christianè vivendi & exequendi opera grata Deo, in qua tamen voluntate juxta authorem Ideæ consistit charitas mixta ex concupiscentia & benevolentia.* 6. *Amor interessatus non potest cum D. Paulo dicere: Vivo jam non*

non ego, vivit verò in me Christus, Gal. 2. Sensus enim horum verborum est: non quæro interesse meum, sed interesse & honorem Christi. 7. Amor sui seu interesse proprii finaliter quæsiti juxta Patres est fons omnium malorum, & juxta D. Bernardum meretur infernum. 8. Deus est finis ultimus omnium rerum, etiam nostri interesse. 9. Tantùm benevolentia pura est radix omnium aliarum virtutum; humilitas enim facit, ut homo se reputet indignum fruitione Dei. Justitia petit, ut homo Deo immolet suum proprium interesse &c. 10. D. Thomas 2. 2. q. 17. a. 8. docet, quòd amor concupiscentiæ, quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed ut illud bonum sibiipsi proveniat, sit imperfectus. 11. Quando Apostoli dixerunt: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Joan. 14. non petierunt visionem Patris tanquam terminum votorum & suæ benevolentiæ erga Deum, sed tantùm quantùm ad sufficientiam cognitionis suæ, volebant enim Christo insinuare, se nondum vidisse Patrem ad sufficientiam, hoc est, quòd de eo nondum habeant sufficientem cognitionem. f. 43. 44. 45. 46. 47. 48. N. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63.

Animadversio.

Ad primum. Quòd in Deo sit amor

concupiſcentiæ, erga creaturas quidem irrationales *ſolius concupiſcentiæ*; erga creaturas autem rationales etiam *amorem amicitiæ*, qui habet pro objecto mutuam communicationem bonorum, ac conſequenter ſimul habet tendentiam concupiſcentiæ & benevolentiæ, eſt communis Theologorum fere omnium, excepto P. Virgilio. Turrianus S. J. diſp. 66. dub. 3. ſic ſcribit: *Doctores communiter docent, Deum amorem amicitiæ habere erga homines, quamvis erga creaturas irrationales ſolum concedant eſſe in Deo affectum amoris concupiſcentiæ.* Si *Turriano* non credimus, D. Thomæ credamus. Part. 1. q. 20. a. 2. ad 3. ſic ſcribit: *Amicitia non poteſt haberi, niſi ad rationales creaturas, in quibus contingit eſſe redamationem & communicationem in operibus vitæ. Creaturæ autem irrationales non poſſunt pertingere ad cõmunicationem beatæ vitæ, qua Deus vivit. Sic igitur Deus propriè loquendo non amat creaturas irrationales amore amicitiæ, ſed amore concupiſcentiæ, inquantum eas ordinat etiam ad ſeipſum.* Vide *Animadv.* 74.

80. Ad ſecundum. Chriſtus nec habuit actum vel habitum fidei; ex hoc tamen non ſequitur, quòd fides non ſit conſtitutivum perfectionis Chriſtianæ. Inadæqua-

quatè enim alia eſt perfectio viatoris, alia comprehenſoris. Itaque Perfectio Dei, & Chriſti eſt quidem regula & norma perfectionis Chriſtianæ, ſed ſecundùm illa prædicata, quorum capax eſt viator. Hinc etiam Chriſtus eſt menſura, regula & forma charitatis Chriſtianæ ſecundùm illa prædicata, quorum capax eſt charitas Chriſtiana. Cæterùm cum ipſemet Deus habuerit amorem concupiſcentiæ, non poterit Chriſto, vero Deo, negari amor concupiſcentiæ. Imo etiam in natura humana dabatur amor concupiſcentiæ ad gloriam ſui corporis, quia in Chriſto dabatur *ſpes* illius gloriæ, prout D. Thomas 2. 2. q. 18. a. 2. teſtatur, & quamvis illa ſpes non fuerit virtus Theologica, eò quòd non habuerit pro objecto principali Deum ut beatificè poſſidendum, negari tamen non poteſt, in illa ſpe Salvatoris noſtri incluſum fuiſſe amorem concupiſcentiæ, cujus ſunt duo actus, nempe *deſiderium* boni abſentis vel *quietatio* in præſente. Itaque nec repugnat in charitate Chriſti incluſum fuiſſe amorem concupiſcentiæ quoad actum *quietationis* in objecto præſente, ſicut etiam D. Thomas admittit, quòd in Beatis remaneat *virtus pœnitentiæ*, in quantum in eis remanet gaudium & gratitudo de peccatis remiſſis. Vide *Animadv.* 29.

Ad tertium. Hoc ipſum eſt in quæſtione. Non igitur ſupponendum, ſed probandum eſt. In amore amicitiæ includi amorem concupiſcentiæ, oſtenſum eſt *Animadv.* 26. 72. 74. 75. 77.

81. Ad quartum. Amor imperfectus poteſt conſiſtere cum peccato mortali, non autem amor perfectus; uterque eſt mixtus; ſed ea mixtio nec ponit nec tollit perfectionem amoris ſeu charitatis, ſed extenſio ad actus etiam accidentales amoris & intenſio virium. Vide *Animadv.* 39. 40.

Ad quintum. Perfectio Chriſtiana haud dubiè non conſiſtit in externa forma vitæ Chriſtianæ, neque in nuda voluntate peragendi aliqua opera particularia grata Deo. Si quis tamen velit efficaciter prorſus omnia præſtare, quæ Deo placent, & vitam Chriſtianam, ut decet, in perfecto amore conſtituat, perfectionem attinget.

82. Ad ſextum. Etiam amor in fide & ſpe radicatus, ſeu relativus ad actum fidei & ſpei, non poteſt dicere: *vivit in me Chriſtus* perſonaliter exercendô in me *actus theandricos;* quia Chriſtus nec credit nec ſperat ſpe Theologica. Ex hoc tamen non ſequitur; quòd propoſitio D. Pauli credentis & ſperantis ſit falſa. Itaque

que textus D. Pauli neceſſariò intelligendus eſt ; quòd Chriſtus in nobis vivat operandô actus , non ſuo ſuppoſito ſeu perſonæ divinæ proprios , ſed operandô actus , conditioni humanæ proprios , illarum divinarum operationum , quantum natura humana & conditio viatoris capax eſt , æmulos.

Ad ſeptimum. Amor boni , ſeu intereſſe proprii *privati* , eſt vitioſus ; non autem boni proprii *communis*. Per *amorem ſui* Aſcetæ ſolùm intelligunt *amorem boni privati* , inquantum non eſt *commune* cum bono proximi & Dei.

Ad octavum. Deus quidem eſt ultimus *finis qui* , ſeu qui appetitur , etiam proprii intereſſe ; ſed non eſt ſolus ultimus *finis cui* ; dantur enim duo ultimi *finis cui* , nempe Deus , *cui* volumus omnia bona tam intrinſeca , quàm extrinſeca per actum benevolentiæ , & homo , *cui* volumus principaliter ipſum Deum per actum concupiſcentiæ , & utrisque ſimul ea bona communia volumus per actum unitivum amicitiæ.

Ad nonum. Non benevolentia pura , ſed amor amicitiæ eſt radix omnium virtutum , prout ex D. Thoma oſtenſum eſt *Animadv.* 58. 72. & 73. Niſi enim humilitas , juſtitia , religio , caſti- 83.

tas

tas &c. ordinentur ad ultimum finem per charitatem, *perfectæ virtutis* rationem non habent. Humilitas non consistit in eo, ut quis se indignum æstimet fruitione Dei *per gratiam*, sed *per naturam*. Humilitas enim juxta S. Augustinum non est falsa sed *vera sui ipsius & Dei cognitio*. Dum se secundùm naturam cognoscit, videt, sibi non deberi visionem Dei intuitivam per essentiam; dum verò se agnoscit vestitum gratiâ, videt sibi deberi *de condigno* vitam æternam, consistentem in visione Dei intuitiva per essentiam. Si alia est P. Virgilii humilitas, ea humilitas hypocritarum est; falsa est. Similiter ea lex divina, quæ peteret sibi immolari, beatitudinem hominis æternam, non lex Dei, sed lex tyranni esset; nec foret *justitia*, sed *injustitia* tam ex parte præcipientis, quàm ex parte obtemperantis; quia obtemperaret non Deo, sed tyranno, & quidem abnegatâ naturâ, conditâ à Deo vero cum desiderio insuperabili beatitudinis æternæ.

84. Ad decimum. D. Thomas dicit, quòd ille amor sit *imperfectus negativè*, inquantum de se formaliter non dicit simul amorem benevolentiæ, & amicitiæ; sicut prædicatum genericum *animalis*

est

est negativè imperfectum relatè ad prædicatum specificum *rationalis*. Non autem docet D. Thomas, quòd amor concupiscentiæ sit *positivè* imperfectus; alioquin spes, quæ à P. Virgilio existimatur esse amor concupiscentiæ, esset aliquid *positivè* imperfectum, quod dicere foret erroneum.

Ad undecimum. Quòd Apostoli in illo textu optaverint visionem intuitivam Dei, & non tantùm majorem cognitionem fidei, est expositorum insigniorum, ac vera sententia. S. Augustinus l. 1. de Trinit. c. 8. sic scribit: *Illâ lætitiâ, quâ nos adimplebit cum vultu suo, habitâ nihil amplius requiretur. Quod bene intellexerat Philippus, ut diceret: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* D. Chrysostomus Homil. 79. in Joan. *Philippus substantiam Patris videre quærebat.* Cyrillus Alex. in Joan. *Philippus dixit: Ostende nobis Patrem & sufficit nobis; ac si diceret: Omnes nos gaudii plenos profitebimur, nec deesse ad beatitudinem quidquam nobis arbitrabimur, si, quod maximè optamus, Deum Patrem videbimus. Laudandus ergo, qui visionem Patris cæteris omnibus rebus antepositit.* Ex his patet,

85.

patet, meam expoſitionem & argumentum niti authoritate Patrum, quod P. Virgilius adducendô aliam expoſitionem ſenſui fidelium non conformem non diſſolvit. Non enim ſententia evertitur per hoc, quòd referatur aliorum numero & authoritate & ratione inferiorum aliter ſentientium opinio.

86. Hallucinatio 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. *Caret omnî fundamentô, quòd Sancti nunquam habuerint actum charitatis ſine concupiſcentia fruitionis Dei. Probatur* 1. *Chriſtus tum quà Deus, tum quà homo non habuit alium amorem, quàm benevolentiæ, quia amorem intereſſatum ſeu concupiſcentiam intereſſe & commodi proprii habere non potuit.* 2. *Angeli juxta D. Thomam* 1. *q.* 60. *a.* 5. *dilexerunt Deum ſupra ſeipſos, ita ut potius voluerint deſtructionem ſuiipſius, quàm offenſam Dei: Sed hic amor eſt pura benevolentia.* 3. *B. Virgo juxta Richardum de S. Victore l.* 2. *de Eman. c.* 2. *dilexit purè ſine affectu ad intereſſe proprium.* 4. *B. Virgo pro omni ſuo poſſibili imitata eſt Chriſtum: Sed Chriſtus quà Deus & homo habuit amorem puræ benevolentiæ. Ergo & mater.* 5. *B. Virgo juxta S. Bernardinum t.* 3. *ſerm.* 2. *ita dile-*

dilexit Deum, ut ad conteſtandum ſuum amorem fuiſſet parata non ſolùm mori, ſicut Chriſtus, ſed etiam penitus annihilari. 6. *D. Paulus & Moyſes voluerunt privari æterna fruitione Dei.* 7. *SS. D.N. Benedictus XIV. & S. Congregatio Rituum approbaverunt & laudaverunt in aliquo Sancto talem actum erga Deum purè benevolum.* 8. *S. Franciſcus Saleſius l. de div. amore f.* 292. *laudat illum actum S. Auguſtini: Domine, ſi fieri poſſet, ut ego Deus eſſem, & tu Auguſtinus, vellem facere, ut ego Auguſtinus, tu Deus fores.* 9. *S. Ignatius habuit amorem puræ benevolentiæ.* 10. *Et S. Xaverius.* 11. *Et B. Jacobonus.* 12. *S. Auguſtinus ſerm.* 35. *docet, illud non amari, quòd non amatur propter ſe. Et l.* 83. *qq. amare nil aliud eſſe, quàm rem propter ſeipſum appetere. Et l.* 3. *de doctrina. Charitatem eſſe motum animi ad fruendum Deo propter ipſum Deum.* 13. *S. Franciſcus Saleſius f.* 282. *dicit: Charitas ſupernaturalis ſpecificari poteſt à ſpe, ſeu concupiſcentia, & à charitate ſeu benevolentia. Illa, quæ provenit à ſpe, intereſſata eſt. Nam qui ita amat, amat Deum tanquam ſuum ſummum bonum; at non quia ex ſe, & in ſe*

eſt

est summum bonum, in quo solo perfecta charitas, quæ ab omni interesse & commodo proprio depurata est, consistit. 14. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 23. *a.* 6. *c. dicit: Charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis boni proveniat.* 15. *S. Chrysostomus in Ep. ad Rom. Hom.* 5. *dicit: Omnia propter Christum agenda, non propter mercedem, sed nescio, quo pacto in hujusmodi sermonem adductus sum, qui jubeam homines propter Christum ipsum regnum cœlorum contemnere, quamquam magni ac generosi viri ad hunc modum pervenerint.* 16. *Fideles, quando eliciunt actum charitatis, vel contritionem perfectam ex perfecto amore Dei, hoc modo tendunt: Opto Deo bona sua intrinseca, & procurabo ejus bona extrinseca promovendo ejus gloriam, idque non metu pœnæ, non spe præmii vel mercedis, sed purissimo amore amicitiæ, quo ei amando uniri, amantem redamare, & ejus gloriam procurare studebo. Sed hic actus est puræ benevolentiæ.* 17. *Exem-*

pla

pla Sanctorum, quæ ab authore Ideæ adducuntur, solùm probant, quòd Sancti interdum elicuerint amorem spei, aut quòd cum actu charitatis interdum concomitanter elicuerint actum spei. 18. *Sanctorum desideria, quibus appetierunt fruitionem Dei, possunt pertinere ad charitatem Theologicam & puram benevolentiam, dum Deus concupiscitur unicè propter Deum, ut Deus magis agnoscatur, ametur, laudetur, glorificetur. Ex his omnibus sequitur, quòd Sancti ab authore Ideæ citati non concupierint fruitionem Dei expressè & explicitè ut sibi bonam.* fol. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58.

Animadversio.

Ad primum. Quòd Christus tum quà Deus, tum quà homo habuerit amorem concupiscentiæ relatè ad varia objecta, ex quibus *qud Deus* communem cum Patre quæsivit gloriam, aut ex quibus *qud homo* sperabat gloriam sui corporis, juxta illud Psalmi 30. in persona Christi scripti, & in cruce à Salvatore dicti, ex dictis *Animadv.* 76. & 77. liquet : Itaque amor concupiscentiæ non dicit imperfectionem positivam ex suo genere, ita ut repugnet charitati viatoris.

87. Ad ſecundum. Quòd D. Thomas aſſerat, angelum potius voluiſſe deſtructionem ſui, quàm offenſam, falſum eſt. Nec enim verbum de hac voluntate angeli in D. Thoma reperitur, nec etiam id ex verbis S. Doctoris erui poteſt. Ex eo enim, quòd pars totius, v. g. manus, absque deliberatione exponatur ictui pro conſervatione totius corporis, D. Thomas non infert, quòd ipſa manus ſeipſam velit deſtruere pro conſervatione totius, neque in natura habetur exemplum, quòd ulla pars ſeipſam deſtruat, aut actione propria cooperetur ad ſui deſtructionem, licèt ea deſtructio ſæpe foret neceſſaria ad conſervationem totius. D. Thomas ex eo, quòd aliquod ordinans tertium, v. g. anima rationalis, vel reipublicæ membrum, velit potius perdere partem, quàm totum, manum, quàm corpus, vitam corporalem, quàm æternam vitam animæ, ſolùm infert, quòd angelus plus diligat Deum amore *appretiativo*, quàm ſe, non verò infert, quòd plus amet Deum, quàm ſe, etiam *amore diviſivo*, tendente ad ſuiipſius deſtructionem. Immo S. Doctor hac ipſa in quæſtione plus quàm decies claris verbis oſtendit, eum ipſum amorem, tam naturа-

turalem, quàm elicitum, quo angelus amat Deum plus quàm ſe, eſſe mixtum ex amore concupiſcentiæ. Nam ad *Object.* 2. *quòd à nemine aliquid diligatur, niſi inquantum eſt ſibi bonum*, non reſpondet, negando hoc principium in amore Dei, ſed diſtinguit: *Dicendum*, inquit, *quòd cùm dicitur, quòd Deus diligitur ab angelo, inquantum eſt ei bonus, ſi ly inquantum dicat finem (qui) ſic falſum eſt. Si verò dicat rationem amoris ex parte amantis, ſic verum eſt.* Et ad *Object.* 3. *quòd omne agens, naturaliter agit ad conſervationem ſui*, non reſpondet; hoc principium falſum eſſe, ita ut v. g. pars aliquando agat ad deſtructionem ſui pro conſervatione totius, ſed reſpondet; quòd omne agens ſimul agat pro conſervatione *ſui & totius*, ita tamen, ut inclinatio ad conſervationem totius ſit major majoritate appretiativa. *Dicendum*, inquit, *quòd natura* (amore) *reflectitur in ſeipſam, non ſolùm quantum ad id, quod eſt ei ſingulare, ſed multò magis, quantum ad commune. Inclinatur enim unumquodque ad conſervandum non ſolum ſuum individuum, ſed etiam ſuam ſpeciem.* Et ad *Object.* 4. *Inquantum Deus eſt bonum beatificans* (Deo & homini commune)

ſic diligitur dilectione charitatis. Ex his evidens eſt, quòd *dilectio naturalis* in angelo, quæ ne quidem eſt libera, non tendat potius in angelo ad deſtructionem ſui, quàm ad offenſam, prout malè D. Thomam interpretatur P. Virgilius, ſed potius dicendum, quòd naturalis dilectio reſpiciat Deum tanquam bonum utrique commune, ita tamen ut appretiativè ſit *major* relatè ad Deum ſpectatum in ſe, & *minor* relatè ad Deum ut participatum. Verbô, Deum ab angelo vel homine amari plus quàm ſe, idem dicit, ac Deum ùt bonum in ſe eſſe objectum charitatis *primarium*, Deum verò ùt bonum beatificum eſſe objectum charitatis *ſecundarium*, prout loquitur SS. D. N. Benedictus XIV. relatus *Animadv.* 2.

88. Ad tertium. Richardus in eo loco, quamvis de *puritate virginea* B. Virginis fuſsè differat, nec verbum tamen loquitur de amore B. Virginis, aut de puritate amoris in B. Virgine. Profectò erubeſcenda eſt hæc citatio P. Virgilio. Authorem non legit, & dum in neſcio quo defloratore vidit textum Richardi loquentem de puritate B. Virginis, ille ſtatim puritatem amoris vidit per ſomnium. Quod verò P. Virgilium

peni-

penitus confundit, eſt doctrina Richardi in Tractatu de *Gradibus charitatis*, ubi poſtquam in quovis gradu amorem concupiſcentiæ repoſuerat, in ultimo tandem gradu collocat affectum ad inſeparabilitatem amantium. In ſecundo gradu charitatis ponit inſatiabilitatem. *Amantes*, inquit, *trahuntur illius faciei deſiderio, quam Deus ùt magnetem poſuit, ut ferrea quæque attrahere poſſit in funiculis charitatis. Nullum ſic amanti ſolatium, quo minus ardeat & æſtuet in fruendi deſiderio. Inſatiabilis eſt charitas, dum ex præguſtatis deliciis amplius in deſideriis exardeſcit. Objicis forſan illud: Satiabor, cum apparuerit gloria tua? Sed ſatietatem deſideranti abundantiam ibi* (per terminum ſatietatis) *notari noveris, non deſiderii finem. Finis deſiderii ſatietas eſt. Qui verò ſemper eſuriunt, liquet, quod ſatiati non ſunt. Sed verè beata* (Sanctorum in cœlo) *eſuries, quæ eſurit ſolùm, quod habet; & ſolùm habet, quod eſurit.* Ex hoc Richardi textu patet, quòd amorem concupiſcentiæ, deſiderium, ſeu eſuriem, in Beatis per totam æternitatem extendat, ubi cùm fides & ſpes non amplius habeat locum, ſed *ſola regnet charitas*, neceſſe eſt, ut iſte amor concupiſcen-

tiæ, seu esuries ad charitatem pertineat. Et c. 4. ultimum gradum charitatis de inseparabilitate amantium sic claudit : *Christus suis optat in Evangelio, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ut sicut illa beatificans personarum Trinitas amore continetur æterno absque confusione & divisione, sic & ipsi uniantur & ordinentur in charitate.*

89. Ad quartum. Quòd Christus habuerit amorem concupiscentiæ, ostensum est *Animadv.* 76. & 77. Immo ex verbis Richardi proximè citatis patet ; quòd etiam Beati in cœlo gaudentes actuali visione beatifica, nihilominus habeant æternam esuriem, nec unquam habeant desiderii finem, juxta illud Eccles. 24. v. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient.* Itaque amor concupiscentiæ manet æternum in charitate tam Christi *quà hominis*, quàm B. Virginis.

90. Ad quintum. Si hæc vera essent in sensu Virgiliano, sequeretur, quòd B. Virgo habuisset majorem charitatem quàm Christus, quia Christus non poterat esse paratus ad sui annihilationem.

91. Ad sextum & septimum. In
92. *Animadv.* 2. 11. 12. 13. & 14. sufficienter ostensum est contrarium.

Ad

Ad octavum. Quòd S. Salesius 93.
illum affectum, quem imperiti quidam D. Augustino affingunt, laudet, non reperio. Id solum D. Salesius l. 5. c. 6. dicit; quòd ejusmodi tendentiæ phantasticæ possint esse conjunctæ cum bono affectu; non quòd ipsæ sint bonus affectus. *Notes velim*, inquit, *desiderium hoc, quod concipitur per imaginationem rerum impossibilium, posse inter sensus spirituales usurpari exemplo S. Augustini, de quo ferunt &c.* Rectè dicit S. Salesius, *ferunt.* Certè in toto S. Augustino, cujus omnia authentica opera attentè de verbo ad verbum legi, non extat. Immo sentio potius cum S. Theresia, quòd ille affectus, à quocunque primitus confectus fuerit, sit sancta insania. Ipsum autem S. Salesium ad amorem charitatis requirere amorem concupiscentiæ, manifestum est legenti illa ipsa folia, quæ allegat P. Virgilius. Nam fol. 292. referens formam perfectæ charitatis, sic scribit: *Dei intimus amicus Franciscus Xaverius sæpius, dum putaret se solitarium, elata ad cœlum voce auditus est hunc in modum clamans: Satis est, Domine, satis est consolationum; vel si placet, me abundare facere deliciis, in cœlum me attollito, qui enim semel gusta-*

vit tuam dulcedinem, oppido illi grave est vivere in amaritudinibus, dum te non fruitur. Hoc desiderium juxta P. Virgilium non pertineret ad charitatem, sed spem.

94. Ad nonum, decimum, & unde-
95. cimum. Falsitas horum ostensa est
96. *Animadv.* 15. 16. 17.

97. Ad 12. Quòd hi termini apud D. Augustinum, Deum *amari propter se*, *appeti propter se*, nil aliud sonent, quàm Deum concupisci non ob alia bona creata ab illo assequenda, sed quia ipse tanquam summum nostrum bonum, & perfecta beatitudo per suammet essentiam nos satiat, centum textibûs luce meridiana clarius demonstravi in Idea amoris. Horum aliquos attuli *Animadv.* 16.

98. Ad 13. D. Salesius hoc loco loquitur de *spe informi*, hoc est, non informata per charitatem, quæ simul includit actum benevolentiæ, haud dubiè in suo objecto formali non respicientis ad commodum proprium: Charitas enim per actum concupiscentiæ respicit ad Deum ùt *beatificum*, per actum benevolentiæ respicit ad Deum ùt *in se bonum*, & per actum amicitiæ respicit ad Deum, tanquam *bonum commune*, quamvis

vis in hoc bono communi reſpiciatur Deus tanquam objectum primarium ordine appretiationis ac dignitatis. Certè quòd D. Saleſius amorem concupiſcentiæ in *formali conceptu charitatis* includat, eúmque amorem concupiſcentiæ referat ad *actus elicitos* perfectiſſimæ charitatis, & quidem in ſenſu ac ſyſtemate hîc explicato, manifeſtum eſt legenti ejus textus. l. 7. c. 3. ſcribit *de ſupremo gradu charitatis* his verbis: *Perfectio iſtius unionis* (cum Deo in ſupremo gradu charitatis) *in duobus conſiſtit. Primò, ut ſit pura. Secundò, ut ſit fortis. Nonne poſſum accedere quempiam, ut rem quampiam ab eo obtineam? Sed appropinquatio & unio non ſunt intentio principalis, ſed ea ſolùm adhibeo ut media & diſpoſitionem ad rem aliam obtinendam. Quod ſi ad illum accedo, & me illi jungo, non alio aliquo fine, quàm ut illi ſim proximus, & approximatione & unione iſta fruar, tunc eſt approximatio puræ & ſimplicis unionis. Sic plures accedunt ad Chriſtum, aliqui ad eum audiendum ùt S. Magdalena, alii ad ſanitatem recipiendam ùt Hæmorrhoiſſa, alii ad eum adorandum ùt Magi, alii ad ſerviendum & obſequia præſtanda ùt S. Martha, alii ad incredulitatem ſuam ſuperandam ùt S. Thomas Apoſtolus, alii denique ad eum inungendum ùt Magdalena,*

Joseph & Nicodemus: ſed divina Sulamitis eum quærit, ut inveniat, & eo invento aliud nihil quærit, quàm arctè eum tenere, & tenendô nunquam à ſe dimittere: Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. v. 4. Jacob Patriarcha, teſte S. Bernardo, tenens Deum fortiter, paratus eſt eum dimittere, modò ſibi impertiat benedictionem: at Sulamitis non dimittet, etiam acceptâ ab eo quacunque benedictione. Non enim illa vult benedictiones Dei, ſed Deum benedictionum, dicens cum Davide Pſal. 72. v. 25. & 26. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hôc autem modô fuit glorioſa Mater apud crucem filii ſui. Hem! quid quæris ô Mater vitæ in hoc monte Calvariæ, quid inquam quæris? Quæro, dixiſſet illa, filium meum, qui eſt vita vitæ meæ. Et quare eum quæris? Ut ſim cum illo. At modò luctatur cum triſtitiæ & mortis fluctibus. Ah! minimè quæro gaudia, non inveſtigo delicias, ſed filium ipſum meum quæro, & ut ubique eum quæram, facit amoroſum cor meum, quod avet ſe unire amabili filio, dilecto meo. In ſumma, intentio

tio animæ in ista unione non est alia, quàm esse cum dilecto. - - - Considera, amabo, hominem attentione & suavitate musicæ harmoniæ captum & abreptum; vel rei, quæ musicâ longè sit inferior, inescatum v.g. lusui chartarum, velles quidem hominem ab eo lusu abstrahere, sed non vales, quantumvis domi sint magni momenti negotia, quæ ut conficiantur, egent ejus operâ quàm maximè; nam adeò lusui addictus est, ut operam lusurus sis, si etiam esurientem & sitientem coneris abstrahere. O Theotime, quantò magis affixa & conjuncta esse debet anima, quæ Deum suum intimè amat, quando infinitæ ejus divinitatis dulcedini unita est, & simul capta & abrepta in objectum incomparabilium perfectionum. Talis fuit S. Pauli vasis electionis, qui clamabat: Ut Deo vivam, crucifixus sum cum Christo. Idem etiam protestatur, quòd nihil, nec mors quidem eum separare possit à Christo Domino & Magistro suo. Hic etiam amoris effectus vigebat in Davidem & Jonatham: nam dicit Scriptura 1. *Reg.* 18. *v.* 1. *Quòd anima Jonathæ conglutinata fuerit animæ Davidis, & dilexerat eum quasi animam suam: quin & axioma celebre, & verò etiam celebratum per an-*

tiquos

tiquos Patres, quòd scilicet amicitia, quæ habere potest finem, nunquam vera fuerit amicitia, ut alibi dixi. Vide, obsecro, Theotime, pusionem affixum uberibus & collo matris suæ, si inde velit quis eum abstrahere, ut ad cunas deferat, quia id faciendi tempus est, is nihil non agit defendens se pro viribus, ne sinum amabilem deserere cogatur, si manus una, qua se affixum matri tenet, separetur, altera eam fortiùs apprehendit, si omnino inde tollatur, plorat, & fixum cor & oculos in eo tenens, in quo non potest tenere corpus, matris auxilium implorat, usque dum diu multúmque cunis ventilatus, obdormiat. Ita anima, quæ per exercitium unionis eousque pervenit, ut capta & affixa divinæ bonitati, ei inhæreat, non potest inde abstrahi, nisi magna vi, nec sine dolore: ita fortiter, quod semel illa apprehendit, tenet: si divertatur ejus imaginatio, tenet se intellectu, qui si etiam ei abstrahatur, eidem subjecto manet affixa per voluntatem, si etiam per violentam distractionem deseratur à voluntate, pedem singulis momentis refert eo, ubi charum habet suum objectum, à quo penitus non potest se abstrahere: renovat enim, quantum in se est, suæ cum illo unionis suavia vincula per frequentes reditiones & reversiones, quas velut furtim exercet. --- Porro B. Mater

The-

Thereſia præclarè dicit, unionem, quæ premit usque ad eam perfectionem, ut nos teneat affixos in Chriſto, non differre à raptu, à ſuſpenſione vel ſuſpendio animæ, ſed vocari eam ſolummodo unionem, vel ſuſpenſionem, aut ſuſpendium animæ, quando brevis eſt; quando autem longa, nuncupari extaſin vel raptum, quia ipſo effectu anima Deo ſuo ita firmiter, ita arctè inhæret, ut non facilè poſſit liberari: non enim amplius eſt in ſe ipſa, ſed in Deo. Sicuti corpus crucifixum non amplius eſt in ſe ipſo, ſed in cruce; & hædera affixa muro non amplius eſt in ſe ipſa, ſed in muro. Verùm ut evitetur omnis æquivocatio, ſcito Theotime, charitatem eſſe vinculum, & quidem perfectionis: proinde qui magis abundat charitate, magis etiam devinctus & conjunctus eſt Deo. At nobis non eſt ſermo de ea unione, quæ eſt permanens in nobis per modum habitûs, ſive dormiamus ſive vigilemus: ſed de unione, quæ fit interveniente actione, & quæ eſt non poſtremum exercitium charitatis & dilectionis. Imaginare igitur tibi S. Paulum, S. Dionyſium, S. Auguſtinum, S. Bernardum, S. Franciſcum, S. Catharinam Genuenſem, Senenſem &c. adhuc exſtare in hoc mundo, & præ laſſitudine ex multis laboribus Dei amore ſuſceptis, dormire. Repræſenta tibi alia ex parte bonam

& ſanctam aliquam animam, minus tamen illis ſanctam, quæ eodem tempore fuit in oratione unionis: quæro ex te, quis eorum magis ſit unitus, arctiúsque Deo devinctus, magníne dicti Sancti, qui dormiunt in ſomno pacis; an anima quæ orat? Dubio procul ſunt magni & admirabiles iſti amatores, quia plus habent charitatis, & eorum affectiones taliter ſunt obligatæ & devinctæ Domino ſuo, ut ab eo ſeparari nequeant. - - - Cæterùm exercitium hoc unionis cum Deo fieri poteſt etiam per breves & quaſi momentaneas, at per frequentes aſpirationes cordis noſtri in Deum, ferè uti orationes jaculatoriæ fiunt ea intentione. Ah! Jeſu mi, quis mihi elargietur gratiam, ut ſim unus ſpiritus tecum? tandem, Domine mi, rejecta multitudine creaturarum, ſolam tuam veritatem volo, ô Deus, tu ſolus unus es, & ſola unitas animæ neceſſaria! Eheu! chare cordis mei amice, unito miſeram unicam animam meam ſingulariter unicæ bonitati tuæ. Tu quidem totus es meus, at quando totus ero & ego tuus? Magnes ferrum trahit & ſibi jungit, agedum Jeſu mi, eſto magnes meus, eſto tractor cordis mei, qui me trahat, me jungat, me premat & uniat in æternum meum ſpiritum paterno tuo pectori. Heu! ſiquidem pro te & ad te factus ſum, quare non ſum tecum, & in te? Ah!

Ah! guttam iſtam ſpiritus, quam mihi dediſti, in mari bonitatis tuæ, ex quo proceſſit, abſorbe: O Domine mi, ſiquidem cor tuum me amat, cur me non rapit ad ſe, hoc ſiquidem unicum eſt meum deſiderium? Trahe me, ut curram inhærens veſtigiis tuorum attractuum, me ut intra tua paterna brachia vibrem, & inde nulla unquam me abſtrahant ſæcula. Hucusque S. Saleſius.

Ad 14. D. Thomas hoc loco ſolùm 99.
dicit, charitatem ſuo deſiderio in Deo ſiſtere tanquam in termino appetitûs, non autem, ut aliud creatum, à Deo diſtinctum obveniat. Id patet ex verbis S. Doctoris hoc articulo ad 3. ubi ait: *Idem bonum eſt objectum charitatis & ſpei. Sed charitas importat unionem ad illud bonum. Spes autem diſtantiam quandam ab eo. Et inde eſt, quod charitas non reſpicit illud bonum ut arduum, ſicut ſpes.*

Ad 15. Quòd D. Chryſoſtomus lo- 100
quatur de mercede creata, diſtincta à Deo, non verò de mercede increata, quæ eſt ipſe Deus, oſtenſum eſt *Animadv.* 23.

Ad 16. Hic actus non eſt puræ be- 101
nevolentiæ, ſed amicitiæ cum Deo, quia

vult

vult *uniri Deo*, quod neceſſariò involvit ſimul amorem concupiſcentiæ.

102 Ad 17. Ad hoc reſponſum eſt *Animadv.* 37.

103 Ad 18. Verum eſt, quòd actus ſpei ſeu amor concupiſcentiæ poſſit pertinere ad charitatem, ſi eliciatur ex motivo charitatis. Sic enim etiam actus miſericordiæ, temperantiæ &c. pertinebunt ad charitatem, ſi eliciantur ex formali motivo charitatis. Sed hoc modo formale ſpei, miſericordiæ, temperantiæ &c. erit materiale charitatis, ſicut formale definitionis eſt materiale ſyllogiſmi, & formale rotularum eſt materiale horologii, & formale çordis ac cerebri eſt materiale hominis. Sic etiam amor concupiſcentiæ, & amor benevolentiæ ſunt materiale charitatis, ſeu amicitiæ. Ex hac ergo reſponſione P. Virgilii ſequeretur, quòd perfectè amans, niſi velit elicere amorem imperfectum, nunquam eliciat purum actum ſpei ex motivo formali proprio, quod eſt damnatum in Fenelonio.

104 Hallucinatio 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. *Author Ideæ docet, quòd contritio perfecta in hoc differat ab attritione, quòd illa ſit pura à metu; ſed*

hoc

hoc non poteſt eſſe. Nam 1. *damnatum eſt in Fenelonio, quòd detur ſtatus habitualis amoris Dei, qui eſt charitas pura, in quo neque timor pœnarum habet amplius locum.* 2. *Eſt damnatum in Fenelonio, quòd detur ſtatus vitæ unitivæ, in quo amittitur omne motivum timoris.* 3. *Non repugnat, ut actus contritionis procedat ex pluribus motivis ſimul propoſitis. Ergo etiam poteſt procedere ſimul ex motivo timoris & ſpei.* 4. *Actus attritionis poteſt ſimul procedere ex motivo timoris & charitatis. Ergo etiam contritio perfecta poteſt ſimul procedere ex motivo timoris & charitatis.* 5. *Metus inferni poteſt actum charitatis imperare. Ergo etiam poterit actum charitatis condeterminare & compartialiter ſpecificare.* 6. *Metus imperans non tollit rationem juſtificativam contritionis perfectæ. Ergo eam nec tollit motivum timoris.* 7. *Metus condeterminans non tollit rationem ſpecificam charitatis in attritione. Ergo nec in contritione.* 8. *In articulo mortis concurrens metus inferni non tollit impletionem præcepti de eliciendo actu charitatis in articulo mortis, ut patet ex S. Hilarione, qui in morte timebat.* 9. *Chriſtus præcipit actum timoris; dicens: Timete eum, qui poteſt corpus & animam*

perdere in gehennam. 10. *Timor facit, ut quis conſervetur in charitate, juxta illud Eccl.* 27. *Niſi in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua.* 11. *Angeli in via fuerunt obligati ad Deum amandum & timendum. Ergo cùm unico actu totum curſum ſuæ viæ confecerint, ſimul conjunxerunt actum charitatis & timoris.* 12. *Si contritio excluderet metum, falſum eſſet, quòd Sacramentum ex attrito faciat contritum. Sacramentum enim attritioni non adimit metum.* 13. *Si contritio & charitas perfecta excluderet omnem metum, ſequeretur, quòd contritio excluſiva metûs ſolùm intenſa ùt duo ſit perfectior, quàm contritio ex charitate intenſa ùt octo comitante metu.* 14. *Sequeretur, quòd homo rariſſimè juſtificetur extra Sacramentum, quia rariſſimè à contritione excluditur metus.* 15. *Quando in Scriptura dicitur, quòd charitas foras mittat timorem, id ſolùm intelligendum eſt de timore ſervili, in quo homo ſic eſt comparatus, ut vellet peccare, ſi metus non eſſet.* 16. *Ipſemet D. Thomas docet, quòd augmentatio charitatis timorem non minuat.* 17. *Concedendum quidem eſt authori Ideæ, quòd contritio perfecta eſſentialiter excludat timorem è linea ſpecifica charitatis;*

non

non autem ex hoc ſequitur, quòd excludat conſortium timoris & charitatis in eodem ſubjecto. fol. 59. 60. 61. 62. 63. 64.

Animadverſio. P. Virgilius in duobus enormiter errat. Inprimis enim ſupponit, quòd in Reſponſo ad Propoſ. 16. Lienhardii aſſignem diſcrimen inter contritionem perfectam & imperfectam extra Sacramentum. Id verò falſiſſimum eſſe, jam abundè oſtenſum eſt *Animadv.* 8. & 40. Nam ibi tantùm aſſigno diſcrimen inter contritionem imperfectam & perfectam in Sacramento pœnitentiæ, dum oſtendo; per Sacramentum pœnitentiæ hominem ex attrito fieri contritum, & contritionem ſeu dilectionem imperfectam tranſire in contritionem ſeu dilectionem perfectam per unionem ad gratiam Sacramenti. Ea mutatio contritionis imperfectæ in perfectam non ſe tenet ex parte actûs, quaſi ipſe actus fiat intenſivè vel extenſivè perfectior, ſed tenet ſe ex parte habitûs, ſeu ſupervenientis formæ, nempe gratiæ ſacramentalis, quæ dilectionem initialem, à metu ſervili liberam, ita perficit ac roborat, ut facilè poſſit ſervare, quod proponit in ordine ad actus eſſentiales amoris. Hic eſt primus error, & enormis,

quia P. Virgilius ex eo errore format longum syrma hæresis Bajanæ, quod trahit ex illo supposito. Secundò. Etiam loquendo de contritione perfecta *extrasacramentali*, non est verum, quòd *ab illius actu* non debeat excludi omnis respectus ad pœnam, seu timor servilis, quamvis habitus charitatis perfectæ compatiatur habitum timoris pœnarum. Itaque hac explicatione præmissa respondeo.

105 Ad 1. In Fenelonio solùm damnatur, quòd status habitualis perfectæ charitatis excludat *positivè ac perpetuò* timorem pœnarum. Nescit enim homo, etiam præditus habitu acquisito perfectæ charitatis, an non sit *aliquando* in gravi tentatione & casu extraordinario extraordinaria oritura necessitas operandi *præter charitatis habitum* ex motivo timoris pœnarum.

106 Ad 2. In hac propositione Fenelonius damnatur, quòd à statu vitæ unitivæ excluserit etiam *timorem filialem*, quo homo timet separari à summo bono; hunc timorem juxta nos non excludit charitas perfecta.

107 Ad 3. Non repugnat quidem, ut actus attritionis procedat ex pluribus motivis *adminiculantibus*. Repugnat verò,

rò, ut procedat ex pluribus motivis ſibi invicem in ſtatu perfecto repugnantibus. Qui enim perfectè Deum aut hominem amat, in ipſo actu perfectæ dilectionis non amat ex metu, ſed gratis, ſine reſpectu ad pœnam, tanquam motivum partiale.

Ad 4. Attritio per hoc ipſum eſt im- 108
perfecta, quòd oculus ſimul habeatur ad pœnam. Ergo ut tollatur imperfectio contritionis, eoipſo oculus ſolùm habendus eſt ad perfectiones amati. Ita de eo diſcrimine pluribus in locis ſcribit S. Thomas. In 4. diſt. 34. q. 2. a. 1. qq. 2. ſic habet: *Cùm timor in fuga mali conſiſtat; malum autem ſit duplex, pœnæ & culpæ; erit timor quidam, qui conſiſtit in fuga mali culpæ tantùm, per quam homo à Deo ſeparatur, ſcilicet timor caſtus vel filialis. Alius autem, qui conſiſtit in fuga mali pœnæ. Pœna autem eſt duplex: una, pro cujus vitatione peccatum quandoque committitur, ſicut ſunt pœnæ temporales; & hanc pœnam refugit timor mundanus vel humanus. Alia eſt, pro cujus vitatione nunquam cõmittitur peccatum, ſed magis vitatur: ſicut pœna, quæ eſt poſt hanc vitam; & hanc pœnam fugit timor ſervilis. Alius autem timor eſt, qui fugit utrumque malum, pœnæ ſcilicet & culpæ, ſcilicet initialis, qui habet oculum ad*

utrumque, & ideo est medius inter servilem & castum. Ibidem ad 2. ait: *Timor servilis & initialis eandem pœnam respiciunt; sed servilis tanquam principale objectum; initialis autem non, sed magis malum culpæ: unde magis se tenet cum casto timore, quàm cum servili.* Ibidem qq. 3. c. *Timor initialis, secundùm quod participat timorem castum, habet rationem doni, quia facit abstinere à malis.* Ibidem art. 3. qq. 2. c. *In quolibet dictorum timorum est considerare duos actus. Unum principalem, quem timor elicit, scilicet refugere hoc malum. Alius est secundarius, quem timor imperat, scilicet facere vel dimittere hoc vel illud propter fugam illius mali, cujus est timor. Timor ergo initialis, quantum ad primum actum, non differt à timore casto, quia timere pœnas æternas non est actus timoris initialis, sed compatitur secum istum actum, sicut & timor castus; sed actus timoris initialis est timere separationem, sicut & casti, quamvis non ita perfectè. Sed in secundo actu differt timor castus & initialis; quia initialis non solùm imperat actum aliquem vel omissionem actûs propter separationem, sed etiam propter pœnam, quod non contingit in amore casto, qui ad solam separationem oculum habet.* Ibidem ad 2. *Timor initialis & castus dividuntur ratione per-*

perfectionis vel imperfectionis in actu elicito, & quantum ad motivum in actu imperato, ùt dictum est. Ibidem qq. 3. c. *Actus elicitus à timore initiali & casto est timere separationem, ad quod duo requiruntur : unum ex parte subjecti, scilicet possibilitas ad separationem : aliud ex parte objecti, scilicet amor ejus, à quo quis timet separari ; quia ab eo quod non amat, separari non curat. Augmentum ergo charitatis facit crescere actum timoris circa separationem. Ideo crescente charitate crescit habitus timoris casti & initialis. - - Perfecta charitas actum timoris casti nunquam diminuit, sed actum timoris servilis semper diminuit, & foras mittit, ut nunquam jam oculus habeatur ad pœnam in agendis vel dimittendis.* Ibidem ad 1. *Timor initialis non dicitur diminui quantùm ad hoc, quod habet commune cum timore casto, sed quantum ad hoc, quod habet commune cum servili.* Ibidem qq. 2. c. *Timor initialis & castus sunt idem in substantia habitûs, differunt tamen accidentaliter, ùt ex dictis patet.* Ibidem art. 1. qq. 3. ad 3. *Timor Dei est amor Dei, non essentialiter, sed per causam ; quia amor est causa timoris.* Ita S. Thomas.

Ad 5. Metus inferni potest imperare 109 actum charitatis solùm *indirectè* & per

modum *excitantis*, determinando intellectum & voluntatem ad considerandа & amplectenda motiva charitatis puræ; non verò directè & per modum *elicientis*; neque enim in tali casu motivum excitans fit *intrinsecum actui*, ad quem excitat, sed remanet *extrinsecum*; neque ingreditur formalitatem charitatis perfectæ, sed disponit seu excitat causam ad producendam formalitatem charitatis perfectæ.

110 Ad 6. Distinguo. Metus imperans charitatem per modum excitantis, & per modum motivi extrinseci, disponentis præcisè causam; non tollit rationem justificativam charitatis extra Sacramentum. Concedo. Imperans per modum elicientis charitatem, & per modum motivi intrinseci partialis formalitatem charitatis ingrediens. Nego. Sensus patet ex priori responso.

111 Ad 7. Metus condeterminans in attritione extrasacramentali non tollit rationem charitatis imperfectæ; tollit tamen rationem charitatis perfectæ. Cùm ergo contritio perfecta procedat ex charitate perfecta, eoipso metus condeterminans tollit rationem contritionis & charitatis perfectæ extrasacramentalis, ùt ostensum est *Animadv.* 8. & 40.

Ad 8.

Ad 8. Non negamus, quòd cum actu 112
perfectæ charitatis possit concurrere passio timoris involuntarii pœnarum, à dœmone suggesti, qualis fuit in *S. Hilarione* & aliis Sanctis. Neque etiam negamus, quòd cum habitu charitatis possit remanere habitus timoris inferni, quia potest esse usui in statu viæ in gravi tentatione, quæ frigescente charitate aliter superari non posset. Quòd autem actus timoris & perfectæ charitatis simul eodem momento elici possint prudenter concomitanter, quin motivum unius actûs ingrediatur formalitatem alterius actûs, posset quidem esse quæstio. Cùm tamen hoc loco ad rem non pertineat, sed status controversiæ præsentis præcisè in eo consistat, utrùm actus contritionis perfectæ extrasacramentalis, quæ debet etiam *materialiter* esse perfecta pro priori ad infusionem gratiæ, ùt ostensum est *Animadv.* 8. & 40. possit procedere partim ex motivo amoris, partim ex motivo timoris, immorari illi concomitantiæ nil aliud est, quàm invertere & turbare statum quæstionis.

Ad 9. Falsum est, quòd Christus præcipiat timorem inferni *absolutè*, sed tantùm præcipit eum *comparativè*, ut in gravi tentatione metui mortis temporalis potius præponatur metus inferni.

Illis autem, qui omnes tentationes facilè ſuperant ex amore Dei, non præcipit, ut agant ex metu inferni. Quòd verba Chriſti habeant ſenſum *comparativum* & non *abſolutum*, patet legenti textum Matth. 10. v. 28. *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, ſed NB. potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Accedit, quòd aliud ſit timere patrem minantem, judicem terrentem &c. & aliud eſt, timere pœnam. Illud fieri poteſt ex timore reverentiali, aut ex timore juſtitiæ vindicativæ, quæ poteſt amari; iſtud verò immediatè habet pro objecto id, quod nullam in ſe continet rationem amoris.

113 Ad 10. Multæ ſunt virtutes, quæ conſervant charitatem; ex eo tamen non ſequitur, quòd earum motivum poſſit ingredi formalitatem charitatis per modum *condeterminativi* & *conſpecificativi* charitatis conſideratæ quoad ſuum eſſe formale. Sic enim fides conſervat charitatem, nec tamen dici poterit, quòd motivum fidei quà tale, nempe revelatio, aut veritas prima, poſſit eſſe motivum intrinſecum charitatis.

114 Ad 11. Angeli tantùm fuerunt obligati ad timorem filialem, quo timerent excludi ab unione cum Deo, & ſeparari à Deo.

à Deo. Non tamen fuerunt obligati ad timorem inferni. Neque etiam ſanctis Cherubinis & Seraphinis inurenda eſt hæc imperfectionis nota, quòd partialiter à rebellione abſtinuerint ex metu inferni.

Ad 12. Sacramentum non in eo ſenſu 115
facit ex attrito contritum, quòd mutet *actum*, ſed quòd mutet *habitum* per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Ea enim charitas, quæ in attrito eſt imperfecta ob permixtionem reſpectus ad pœnam, & ob debilitatem ac parſimoniam propoſiti, ſe tantùm extendentis ad actus amoris eſſentialis, ita roboratur per gratiam ſanctificantem, ut homo, dummodo velit, facilè poſſit operari ex motivo amoris erga Deum ſine reſpectu ad pœnam, & ſeſe extendere ad obſervationem conſtantem totius legis. Et hoc eſt, pœnitentem vi Sacramenti ex attrito fieri contritum, & contritionem ſeu dilectionem initialem imperfectam fieri perfectam ex unione ſeu informatione gratiæ ſacramentalis.

Ad 13. Sola excluſio metûs extra Sa- 116
cramentum non reddit contritionem aut charitatem perfectam, ſed potius extenſio propoſiti efficacis ad actus amoris non ſolùm eſſentiales, ſed etiam accidentales practicos ſuis viribus & ſtatui congruos. Tunc enim Deus extra Sacramentum te-

netur

netur vi ſuæ ordinationis conferre homini gratiam, ſi homo faciat, *quod eſt in ſe*, quod profectò non facit, niſi ſuo propoſito ſe extendat ad actus amoris practicos etiam accidentales. Hoc eſt, quod in Evangelio de Peccatrice dicitur: *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7. Hoc eſt diligere Deum ex toto corde, ex tota fortitudine, & ex omnibus viribus.

117 Ad 14. Hoc facilè conceſſerim reſpectu eorum, qui ante ſuum lapſum non contraxerunt longo tempore habitum acquiſitum, quo ſe exercuerint in actibus practicis charitatis; ſicut ejusmodi habitum prius contraxerat S. David, & S. Petrus. Hi enim facilius ad actus aſſuetos firmo propoſito redeunt.

118 Ad 15. Si charitas ſolùm ejiceret timorem ſerviliter ſervilem, nihil haberet ſpeciale ab aliis virtutibus; nam eum timorem etiam ejicit timor inferni, prout adverſarii volunt. At verò interpretes cum D. Thoma & aliis Theologis agnoſcunt, in charitate perfecta ejici omnem alium timorem, qui non eſt filialis, prout ſuprà vidimus.

Ad 16. D. Thomas ſolùm docet, quòd charitas non minuat timorem filialem; minuat autem initialem, quo

ad-

adhuc habetur oculus ſecundariò ad pœnam, ita ut ubi charitas imperfecta creverit in perfectam, ejiciat omnem timorem, excepto ſolo timore caſto ſeu filiali, prout patet ex textibus S. Doctoris relatis Ad 4.

Ad 17. Si mihi conceditur, quòd 119
metus pœnarum excludatur à linea ſpecifica charitatis, habeo intentum. Hoc enim ſolum eſt in quæſtione, utrum contritio juſtificativa extra Sacramentum, quæ ſupponitur eſſe elicienda ex motivo amoris perfecti, tanquam actus imperatus & procedens à linea ſpecifica charitatis, debeat excludere metum pœnarum? Si enim contritio perfecta extra Sacramentum non eſt perfecta, niſi quatenus procedit à charitate perfecta; & charitas perfecta eſt excluſiva metûs pœnarum, manifeſtum eſt, quòd etiam contritio perfecta, quatenus eſt perfecta, & in ratione contritionis perfectæ, hoc eſt, in ratione procedentis à charitate perfecta, non habeat reſpectum ad pœnam. Itaque P. Virgilius turbandô ſtatum quæſtionis hallucinatus eſt in fundo quæſtionis.

Hallucinatio 120. *Non poteſt eſſe* 120
verum, quòd charitas etiam intenſa poſſit ſtare cum peccato mortali. Nam 1.

dam-

damnatum est in propositionibus Baij, quòd charitas perfecta possit stare sine remissione peccatorum. 2. *Idem probatur ex Tridentino, & variis textibus Scripturæ.* f. 65. 66. 67. 68. 69. N. 82. 83. 84 .85. 86.

Animadversio. Hoc toto paragrapho error P. Virgilii tantùm unus, sed continuus & ingens est. Supponit enim, quòd *charitas ex parte actûs intensa*, & *charitas perfecta*, idem sint. Quod profectò falsissimum est. Potest enim actus charitatis imperfectæ ex *parte actûs* esse intensissimus; & vicissim potest actus charitatis perfectæ ex parte actûs esse remissus. Scriptura, quando nobis tradit Ideam perfectæ charitatis, non requirit *intensionem se tenentem ex parte actûs.* Non enim in primo & maximo mandato dicitur: *diligas Deum actu amoris intensissimo*, si vis obtinere peccatorum veniam. Ea intensio imprudenter à Deo ad observantiam primi mandati exigeretur ab homine; partim quia illa intensio plerumque non dependet à nostro libero arbitrio; partim quia non esset assignabilis gradus intensionis, ad quem deberet pertingere observantia præcepti, & sic lex foret *indeterminata* quoad objectum, & sic eo-

eoipſo irrationabilis. Itaque Scriptura ad actum perfectæ charitatis etiam extra Sacramentum non requirit *intenſionem* ſe tenentem ex parte actûs, ſed tantùm *intenſionem virium*, ſeu heroicam reſolutionem ad exercendos omnes actus practicos amoris ſuis viribus moraliter proportionatos, ſeu *extenſionem actûs* ad actus amoris practicos non ſolùm *eſſentiales*, ex ſua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, ſed etiam ad actus amoris accidentales, cujusvis ſtatui & viribus moraliter proportionatos. Hoc enim requiritur à Scriptura, dum Matth. 22. Chriſtus dicit: *Diliges Deum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente.* Et Marci 12. *Diligatur Deus ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine.* Et Lucæ 10. *Diliges Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex omni mente tua.* Itaque ad actum perfectæ charitatis non requiritur *intenſio actûs*, ſed *virium animi*, ſeu potius *totalitas* applicationis potentiarum intellectualium & appetitivarum, & *extenſio actûs* per efficax propoſitum non ſolùm ad actus amoris eſſentiales, ſed etiam accidentales. Hoc eſt diligere

mul-

multum, prout S. Magdalena dilexit, dum obtinuit veniam ; hoc eſt *facere quantum eſt in ſe*, cui ſoli diſpoſitioni teſte D. Thoma Deus vi ſuæ ordinationis extra Sacramentum tenetur conferre gratiam 1. 2. q. 112. a. 3. 1. Hoc eſt, quod juxta explicationem SS. Patrum primum mandatum requirit ; hoc eſt, quod in inſtructione fidelium à multis neglectum, ab aliis non ſatis diſtinctum conqueror. S. Chryſoſtomus in cap. 2. Matth. Homil. 24. naturam primi præcepti explicans, ſic ait : *Quid eſt diligere Deum ex toto corde ? id eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quàm ad Dei : nec delecteris in aliqua ſpecie mundi amplius, quàm in Deo : non in honoribus, non in auro vel in argento, non in poſſeſſionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut veſtibus, non in filiis aut parentibus aut amicis ; ſed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum : pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus eſt ad Deum. - - - Quid eſt in tota anima diligere Deum ?*

id

id est, certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Qui omne bonum credit apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, & extra Deum non credit esse bonum: qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse, ille tota anima diligit Deum. Quid est tota mente diligere Deum? id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent. Cujus intellectus Deo ministrat, & cujus sapientia circa Deum est; cujus cogitatio ea, quæ sunt Dei, tractat; cujus memoria, quæ sunt bona, recordatur, tota mente diligit Deum. Similî modò S. Bernardus optimè explicat verba hujus primi præcepti, dum Serm. 20. in Cantic. ait: *Disce, ô Christiane, à Christo, quomodo diligas Christum: disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. ---- Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis: animæ verò amor ad industriam, seu judicium rationis: virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno*

cordis affectu; dilige tota rationis vigilantia & circumspectione; dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, quoniam fortis est ùt mors dilectio. Ita SS. Chrysostomus & Bernardus. Ex his ergo patet, doctrinam P. Virgilii non solùm esse falsam, sed etiam perniciosam, dum sub specioso schemate amoris puri & desinteressati reipsa tollit vim & essentialem obligationem primi mandati requisiti tam intra quàm extra Sacramentum. In Sacramento quidem in ordine ad actus amoris essentiales practicos, ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, prout explicavi *Animadv.* 8. 40. 49. 50. 68. 71. Extra Sacramentum verò in iis, qui per contritionem perfectam obtinere voluerint justificationem *certam*, etiam in ordine ad actus amoris accidentales. Quia plus requiritur ad amicitiam Dei extra Sacramentum *impetrandam*, quàm ad eam in Sacramento gratis conceſſam *continuandam.* Videat proin P. Virgilius, quam rationem sit redditurus Deo, non solùm malè instruendô suas oviculas, sed etiam suos Conpastores ovium, 1. Quòd practicè tutum sit, in Sacramento pœnitentiæ ad justificationem peccatoris non re-

requiri actum charitatis saltem imperfectæ cum proposito saltem implicito ad actus essentiales amoris amicitiæ practicos, ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos. 2. Quòd peccator extra Sacramentum facilè possit justificari per quasdam amoris desinteressati formulas sine proposito de se efficaci exhibendi Deo actus amoris amicitiæ practicos, non solùm essentiales, ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, sed etiam accidentales, statui & viribus moraliter congruos. Dicam candidè: Ejusmodi amoris desinteressati formulæ sine præfato efficaci proposito ad actus essentiales in Sacramento, ac etiam ad accidentales in ordine ad justificationem extra Sacramentum videntur mihi mera *hypocrisis*, & *inanis larva sanctitatis*, nec ea doctrina *secura est in praxi*, prout SS. D. N. non obscurè ex Rituali Argentinensi insinuat in sua *Dissertatione*, relata *Animadv.* 39.

Hallucinatio 121. *Quando author* 121
Ideæ docet, quòd gratia habitualis regulariter non conferatur sine Sacramento, id sic intelligendum est, quòd in ordinario justificandi modo hujus providentiæ nunquam conferatur gratia habitualis.

Id autem non eſt veritati conſonum; quia certum eſt ex damnatis propoſitionibus Baij, & ex Tridentino, & ex Scriptura, quòd charitas & contritio perfecta ſit etiam in hac providentia regulare medium obtinendi juſtificationem etiam extra Sacramentum. f. 69. 70. 71. 72. 73. N. 87. 88. 89. 90.

Animadverſio. Hôc locô P. Virgilius calumniosè invertit ſenſum meorum verborum, cuivis obvium, in ſenſum peregrinum hæreticum. Scripſi ego, quòd peccatores extra Sacramentum *regulariter* non juſtificentur; quia *regulariter* non contingit, ut habeant contritionem perfectam. Id enim paucis & rarò contingit, quòd pertingant ad charitatem & contritionem perfectam, qualis extra Sacramentum ad obtinendam juſtificationis gratiam requiritur. Id ipſum docet Catechiſmus, juſſu Concilii Tridentini conſcriptus, & toti Eccleſiæ pro uniformi doctrina à ſummis Pontificibus commendatus, à plerisque omnium diœceſium ſynodis, præſertim ab ultima ſynodo Auguſtana præſcriptus, ubi part. 2. c. 5. ſic habetur: *Ut hoc concedamus, contritione deleri peccata, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas*

cum ſcelerum magnitudine æquari, conferríque poſſit ? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Ita Catechiſmus Tridentini. Si P. Virgilius unquam legiſſet Catechiſmum Tridentini, an vel per ſomnium cogitare potuiſſet, me in alio ſenſu locuturum, dum *regulariter* ad gratiam juſtificationis extra Sacramentum perveniri negabam ? At quia *deprimenda erat authoritas Euſebii*, prout quidam in Epiſtola familiari, quam in Originali inſpexi, *ſibi eſſe in votis* ſcribebat, etiam P. Virgilius in hanc impudentem calumniam prorupit, ut, dum ego docerem, extra Sacramentum *rarò* obtineri juſtificationis gratiam, quia reſpectivè *rarò* ponitur contritio & charitas perfecta, ille inverſo ſenſu mihi impingeret, contritione & charitate perfecta extra Sacramentum *nunquam* obtineri juſtificationis gratiam.

Hallucinatio 122. *Author Ideæ docet, quòd contritio nunquam juſtificet extra Sacramentum; ſed hoc ſano ſenſu defendi nequit. Quòd reverà doceat, contritionem nunquam juſtificare extra Sacramentum, probatur* 1. *Quia, ſi con-* 122

tritio justificaret extra Sacramentum, ea deberet esse pura à metu; sed talis non justificat. Ergo. m. prob. contritio seu charitas pura à metu juxta authorem Ideæ est confixa in propositionibus Fenelonii. 2. In articulo mortis etiam Sancti habuerunt charitatem mixtam ex timore, v. g. S. Hilarion. 3. Puritas â metu est mera privatio. Ergo non potest reddere contritionem perfectam. 4. Actus charitatis est dispositio ad gratiam; sed dispositio non habetur ex privatione, qualis est puritas à metu. 5. Actus charitatis est eò perfectior, quò plurium virtutum motivis innititur. Ergo charitas non fit perfecta ex eo, quòd careat motivo timoris. 6. Angelorum charitas erat mixta ex metu. 7. Puritas à metu nil tribuit charitati per se, sed tantùm per accidens, nempe intensionem actûs ex majori attentione ad motiva charitatis, quæ tamen intensio juxta authorem non reddit charitatem perfectam. 8. Juxta authorem Ideæ dilectio initialis quoad substantiam est idem cum charitate perfecta. Ergo si dilectio initialis non justificat extra Sacramentum, etiam charitas perfecta nunquam justificat extra Sacramentum. f. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. N. 92. 93. 94. 95. 96. 97.

Ani-

Animadverſio. P. Virgilius iterum in duobus enormiter calumniatur & errat. *Primò*, quòd mihi tribuat opinionem; hominem contritione ac charitate perfecta nunquam juſtificari extra Sacramentum. Secundò, quòd putet, eam doctrinam, in propoſitionibus Baij meritò damnatam, ex meis principiis conſequi. Primum, quod attinet, eſt luculentiſſima calumnia. Nam in *Reſponſis* ad Scrupulos Lienhardii conſtanter docui, quòd contritio ac charitas perfecta juſtificet extra Sacramentum. In *reſponſo* 10. fol. 27. expreſsè dico: *Si attritio ex metu inferni concepta ſic imperet actum dilectionis, ut iſte tantùm reſpiciat ad motivum proprium amoris, nec retroſpiciat ad motivum attritionis* (conceptæ ex metu inferni) *ac præterea efficaciter determinet ad actus amoris amicitiæ practicos eſſentiales ſine ulla exceptione, ſic actus imperatus erit actus charitatis perfectæ ac juſtificativus.* Qua ergò calumniandi licentia P. Virgilius mihi publicè imponere non veretur eam ſententiam, quòd contritio & charitas perfecta nunquam juſtificent extra Sacramentum? Videamus proin, an ea ſententia Bajana ſaltem ſequatur ex meis principiis. Reſpondeo ad ejus argumenta.

Ad 1. *Distinguo.* Contritio deberet esse libera à metu servili. *Concedo.* à metu filiali. *Nego.* Fenelonii contritio & charitas ab omni timore etiam filiali pura damnata est indirectè, in sensu Virgiliano, quòd nempe ab ea excludi debeat intra formalitatem actûs timor etiam filialis, quo timetur exclusio à beatitudine essentiali seu visione intuitivà Dei per essentiam, prout ostensum est *Animadv.* 2. 3. 4.

Ad 2. *Distinguo.* Habuerunt timorem inferni per modum passionis & tentationis involuntariæ suggestæ à dœmone. *Concedo.* per modum actûs eliciti. *Subdistinguo.* Habuerunt timorem concomitanter extra formalitatem actûs charitatis. *Transeat.* Intra formalitatem actûs charitatis. *Nego.* Dixi: *Transeat.* Quia verisimilius est, in ejusmodi circumstantiis dari successiones operationum ad varias virtutes pertinentium, ita ut *præter habitum* charitatis in gravi tentatione etiam elici possit metus inferni; quamvis de viris sanctis præsumendum non sit, quòd in articulo mortis etiam solùm concomitanter operati sint ex metu inferni.

Ad

Ad 3. *tr. a. dist. c.* Ergo non potest reddere charitatem perfectam *positivè*. Concedo. *negativè*. Nego. Sic enim etiam depuratio à contrario intendit calorem removendo impedimenta activitatis, & depuratio à nocivis humoribus perficit sanitatem, eámque perfectam restituit.

Ad 4. *c. M. dist. m.* Dispositio non habetur per privationem per modum constitutivi, c. per modum conditionis. n. Sic enim calor vel ignis ùt activus in actu secundo habetur per *depurationem* à contrario in passo, & per *applicationem* agentis ad passum, quarum tamen utraque se habet per modum puræ conditionis. Itaque eodem modo se habet depuratio à metu servili ad activitatem charitatis perfectæ.

Ad 5. Hoc assertum est falsissimum. Implicat enim, eandem virtutem procedere ex motivis pluribus formalibus. Quòd si concurrant diversæ virtutes, necesse est, ut aliæ se habeant tantùm *materialiter* per modum actûs imperati, vel ut se tantùm habeant concomitanter, ita ut motivum formale unius virtutis per modum motivi formalis specificantis actum in esse formali non ingrediatur for-

malitatem alterius virtutis concomitantis.

Ad 6. Negatur antecedens. Neque enim verosimile est, angelos bonos partialiter abstinuisse à rebellione ex metu servili pœnarum inferni ; sed ex timore filiali exclusionis à visione beatifica, & ex puro amore amicitiæ.

Ad 7. *tr. ant. nego. c.* Quia etiam applicatio agentis ad passum , & depuratio passi à contrario , & decretum Dei permissivum, nil contribuit per se ad activitatem caloris , ignis, sanitatis &c. & tamen reddunt causam perfectam quoad esse activum in actu secundo. Dixi: *Transeat.* quia potest dici , quòd puritas à metu inferni non sit privatio , sed negatio sui contradictorii. Sic etiam ab actu scientiæ perfectæ excluditur essentialiter *actualis formido* oppositi, licèt ea exclusio nihil contribuat ad perfectionem scientiæ.

Ad 8. Retorquetur in innumeris causis vel compositis moralibus. Sic homo justus & injustus est idem quoad substantiam; materia & forma Sacramentorum cum intentione & sine intentione ministri ex suppositione , quòd hæc non sit pars, sunt idem quoad substantiam; Hostia consecranti in distantia unius & mille pedum

ostensa

oſtenſa eſt eadem quoad ſubſtantiam; lux ſolis reflexa & directa in oculum eſt eadem quoad ſubſtantiam; calor intenſus ùt duo, & intenſus ùt ſeptem in ſententia, quòd differant ſolùm per majorem radicationem in ſubjecto, ſunt idem quoad ſubſtantiam; ſtatua aurea perfecta & imperfecta ſunt idem quoad ſubſtantiam. Ergo habent eosdem effectus phyſicos vel morales prœmii, gratiæ, valoris, excœcationis, accenſionis, pretii &c. In forma *diſtinguo*. Sunt idem quoad ſubſtantiam in conſideratione phyſica. *Concedo*. in conſideratione morali. *Nego*. Itaque etiam charitas perfecta & imperfecta, licèt in conſideratione phyſica *quoad ſubſtantiam* ratione objecti materialis & formalis non differant, poſſunt tamen ob diverſam perfectionem, in conſideratione phyſica ſolùm accidentalem, in conſideratione autem morali ſubſtantialem, habere diverſum effectum, ita ut in charitate imperfecta, quæ non eſt ex toto corde, & tota fortitudine, & ex omnibus viribus, Deus extra Sacramentum non moveatur ad conferendam juſtificationis gratiam; eò quòd homo nondum faciat moraliter, *quantum eſt in ſe*, econtra in charitate perfecta, quæ eſt ex tota anima, & omnibus moraliter viribus, Deus moveatur ad conferendam juſtificationis

tionis gratiam, eò quòd homo faciat, quod est in se.

123 Hallucinatio 123. *Author Ideæ docet, quòd discrimen attritionis à contritione perfecta neque desumatur ab intensione, neque ab extensione, neque à duratione temporis, neque à diversitate objecti materialis, sed à diversitate motivi puri à metu, & ab efficacia propositi, proveniente ab unione ad gratiam Sacramenti. Ergò, cùm extra Sacramentum non possit dari unio contritionis ad gratiam Sacramenti, manifestum est, quòd juxta authorem Ideæ non possit dari contritio justificativa extra Sacramentum.* f. 73. 74. 76. N. 92.

Animadversio. In hoc Enthymemate situm est totum phantasma Bajanismi, quod P. Virgilius ex meo ad Lienhardium aliquot linearum responso somniat. Videamus, quàm lepidum & inane sit hoc somnium. Scripsi ego, in illo ad Lienhardium responso, quòd in Sacramento pœnitentiæ pœnitens ex attrito fiat contritus, & quòd attritio fiat contritio perfecta, & quòd ea Sacramenti virtus sit, ut ex *contrito imperfectè* faciat *perfectè contritum.* Cùm autem hic modus loquendi, prioribus Theologis familiaris, multorum auribus peregrinus sit, explicandum

candum erat, quomodo attritio ſeu contritio imperfecta virtute Sacramenti in contritionem perfectam tranſeat, & quomodo Sacramentum ex attrito contritum efficiat. Id præſtiti compendio intra paucas lineas. Dixi enim; in *Sacramento* tranſire attritionem in contritionem perfectam eatenus, inquantum gratia Sacramenti tribuit attritioni virtutem ac moralem potentiam, efficaciter ac conſtanter operandi in opere, quod attritio per dilectionem initialem promittebat ſuo propoſito. Duo ergo ad conſtituendam contritionem perfectam in Sacramento requiſivi; unum ſe tenet ex parte attritionis, nempe *proxima idoneitas* ad hoc, ut poſſit informari à charitate habituali Dei ad hominem, ſeu à gratia ſanctificante; & iſta idoneitas, tanquam conſtitutivum materiale contritionis perfectæ, conſiſtit in puritate motivi à metu ſervili, dum homo *principaliter* ad fugam peccati & ſervitium divinum non amplius movetur ex metu inferni, ſed ex motivo charitatis. Poſui autem illam puritatem motivi inter prædicata differentialia attritionis à contritione perfecta, quia in genere attritionum ab authoribus ponuntur etiam attritiones conceptæ principaliter ex metu inferni. Ut ergo hanc ſpeciem attritionis excluderem à genere con-

contritionum perfectarum ſacramentalium, dixi, contritionem perfectam ſacramentalem debere eſſe puram à metu, ita ut principaliter non moveatur à metu ſervili pœnarum inferni. Si cui obſcura aut ambigua erat conſtructio verborum, ſenſus obvius ſumendus erat ex contextu, & non detorquendus in ſenſum hæreticum, cujus in omnibus meis libris nulla reperitur umbra. Alterum conſtitutivum contritionis perfectæ ſacramentalis eſt juxta me ipſa efficacia propoſiti proveniens per informationem gratiæ ſanctificantis, collatæ per Sacramentum, ita ut eadem attritio, manens intra genus attritionis, ſeu contritionis imperfectæ, tranſeat in contritionem perfectam per informationem gratiæ ſacramentalis, dummodo ad hanc recipiendam in ea reperiatur ſaltem ea perfectio materialis, ut ſit pura à metu ſervili per dilectionem initialem. At verò P. Virgilius non attendens ad contextum & ſcopum reſponſi maluit arripere ambiguum verbum, illúdque detorquere in ſenſum hæreticum. Profectò hic modus exponendi verba Scriptoris Catholici non decet, nec video, quomodo P. Virgilium eximat ab obligatione revocandi calumniam. Excuſari potuiſſet, ſi nec ex contextu genuinus ſenſus colligi potuiſſet. At cùm

ipſa

ipſa objectio P. Lienhardii, ad quam reſpondi, hoc impugnaret, quòd dilectione initiali in attritionem admiſsâ ſequeretur, Sacramentum non fore primò collativum gratiæ; & ego reſponderem dilectionem initialem de ſe non eſſe juſtificativam, & contritionem perfectam extra Sacramentum adeò eſſe difficilem, ut illius ope pauci & rarò obtineant gratiam juſtificationis, econtrà in Sacramento facilè obtineri juſtificationem, eò quòd quælibet attritio etiam non intenſa aut extenſa ultra eſſentialia amoris initialis, dummodò ſit à metu ſervili tanquam motivo principali libera, per gratiam Sacramenti ac informationem gratiæ fiat charitate habituali infusâ perfecta, quomodo exinde exſculpi poterat, à me non admitti ullam contritionem juſtificativam extra Sacramentum? Immò ex hoc ipſo, quòd ibi ſcriberem, juſtificationis gratiam *regulariter* non obtineri extra Sacramentum, inferri debuerat, admitti à me contritionem juſtificativam extra Sacramentum, licèt, prout Catechismus Romanus loquitur, *pauci admodùm ad hunc gradum* contritionis juſtificativæ pervenirent.

Hallucinatio 124. *Verè ſingularia* 124 *ſunt dogmata authoris Ideæ.* 1. *Quòd dilectio initialis & perfecta quoad ſubſtantiam*

ſit

ſit idem habitus. 2. *Quòd dilectio perfectionem ſuam habeat ab unione ad gratiam ſanctificantem.* 3. *Quòd gratia habitualis, qualis confertur in Sacramento, det ſufficientiam ad obſervantiam mandatorum Dei pro toto vitæ tempore, cùm tamen perſeverantia ſit ſpeciale donum Dei juxta cõmunem Theologorum contra Janſeniſtas.* 4. *Quòd contritio perfecta diſtinguatur ab imperfecta per has duas conditiones, nimirùm per puritatem à metu, & unionem cum gratia.* f. 78. 79. N. 96.

Animadverſio.

Ad 1. Quòd dilectio initialis & perfecta, ſeu informata per gratiam ſanctificantem & charitatem infuſam ſit idem habitus vel actus quoad ſubſtantiam, teſte SS. D. N. Benedicto XIV. in *Diſſertatione*, quam *Animadv.* 39. attuli, docent inſignes Theologi, & ea doctrina à SS. D. N. prohibetur prohiberi ab Epiſcopis. Non igitur ea doctrina eſt ſingularis. Idem docet S. Thomas in 4. diſt. 34. q. 2. a. 3. qq. 2. c. his verbis: *Timor* (ſeu amor) *initialis & caſtus ſunt idem in ſubſtantia habitûs, differunt tamen accidentaliter.*

Ad 2. *Diſtinguo.* Eſt ſingulare dogma, quòd dilectio extra Sacramentum habeat ſuam perfectionem ab unione ad gra-

gratiam habitualem. *Concedo.* in Sacramento. *Nego.* Quando loquimur de perfectione contritionis, quam attritio acquirit in Sacramento, Theologi loquuntur de perfectione dilectionis vel contritionis *formali*, inquantum informatur per gratiam, ex ſui naturâ habitualiter tendentem ad actus amoris puros à metu, prout *Animadv.* 104. ex D. Thoma vidimus. Quando verò Theologi loquuntur de contritione vel dilectione perfecta extra Sacramentum, loquuntur *ordinariè* de perfectione dilectionis *materiali*, qua redditur diſpoſitio congrua ac extra Sacramentum ſufficiens ad gratiam. Ea autem perfectio *materialis*, ſeu diſpoſitiva ad gratiam extra Sacramentum, non conſiſtit in ipſa unione ad gratiam, ſed vel in *intenſione* actûs, ùt alii volunt, vel in *extenſione* propoſiti ad actus amoris amicitæ practicos etiam accidentales, ad quod requiritur *intenſio virium* animæ, prout ego in *Tract. de Pœnit.* defendo. Dixi: *ordinariè*; Nam ſi de perfectione contritionis *formali* etiam extra Sacramentum ſermo ſit, D. Thomas cum genuinis Thomiſtis rotundè fatetur, quòd aliquo modo etiam illa perfectio contritionis habeatur per unionem ſeu informationem gratiæ; unde 1.2. q.113.a.8. expreſsè docet, quòd in contritione perfecta etiam

extra Sacramentum detur mutua naturæ prioritas inter infusionem gratiæ & actum contritionis. Sic ait: *Naturali ordine primum in justificatione impii est gratiæ infusio; secundum est motus liberi arbitrii in Deum; tertium est motus liberi arbitrii in peccatum.* Et ad 1. *Ordine naturæ prior est gratiæ infusio, quàm culpæ remissio. Sed si sumantur ea, quæ sunt ex parte hominis justificati, est è converso. Nam prius ordine naturæ est liberatio à culpa, quàm consecutio gratiæ justificantis.* Et ad 2. *Dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur; & ideo motus liberi arbitrii naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ.* Ex hoc claro textu S. Doctoris non solùm sequitur, quòd contritio aliquo modo etiam extra Sacramentum fiat *formaliter* perfecta per infusionem gratiæ, sed quòd etiam actio divina infusiva gratiæ sit practica & operativa in libero arbitrio, utpote operativa motûs in Deum pro priori ad receptionem gratiæ, qui motus dilectionis, in Deum est ipsum *materiale* contritionis seu dilectionis, *formaliter* per gratiam perfectæ. Turpe est, hujusmodi doctrinas à genuinis Thomistis ignorari. Hinc optarem, nullum unquam ad professuram

Theo-

Theologicam, præſertim in Academiis & ſtudiis Thomiſtarum applicari, niſi ſaltem Summam D. Thomæ ferme memoriter ſciat, & ex ea ſubeat rigoroſum Examen publicum. Ego certè, dum adhuc eram Theologiæ diſcipulus, maximam illius Summæ partem inſtar Catechismi imbiberam.

Ad 3. Certum eſt juxta omnes Theologos, quòd ſine gratia habituali moraliter impoſſibile ſit, toto vitæ tempore ſervare totam legem. Itaque non *ſingulare*, ſed *univerſale* dogma eſt, quòd gratia habitualis homini conferat moralem potentiam ſeu ſufficientiam in ordine ad ſervanda omnia mandata toto vitæ tempore. Valde autem imperitum eſt, *ſufficientiam* ad perſeverandum, & ipſam *perſeverantiam* confundere, aut hoc Janſeniſtis tribuere, quòd perſeverantia non ſit ſpeciale donum Dei. Quis enim Catholicorum aut etiam Janſeniſtarum unquam negavit, quòd perſeverantia ſit ſpeciale donum Dei? Videat P. Virgilius, ne hoc loco ſeipſum faciat de Janſenismo ſuſpectum, dum nullam ex gratia habituali vult admittere ſufficientiam ad perſeverandum, niſi eoipſo admittatur perſeverantia. Soli enim Janſeniſtæ non admittunt gratiam ſufficientem, propriè dictam, cui homo aliquando reſiſtat.

Ad 4. *Distinguo.* Docui, quòd contritio perfecta & imperfecta in Sacramento Pœnitentiæ, ubi solùm est sermo de perfectione formali & habituali, per has duas proprietates distinguantur. *Concedo.* Etiam extra Sacramentum, ubi ordinariè sermo est de perfectione materiali & dispositiva. *Nego.* Contrarium sufficienter ostensum est *Animadv.* 122. 123. 124.

Hallucinatio 125. *Falsitatem Morini 125, quòd nemo ante sæculum 15. docuerit attritionis sufficientiam cum Sacramento, redarguit La Croix.* f. 79. N. 97.

Animadversio. Longè aliter citat Morinum SS. D. N. Benedictus XIV. in Dissert. quam attuli *Animadv.* 39. Sic enim scribit: *Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, satis esse contritionem imperfectam, quam jam tum attritionem nuncupabant, attritionis tamen nomine nunquam intellexerunt dolorem de peccatis aliunde excitatum, quàm ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore* (non solius concupiscentiæ seu spei sed etiam) *benevolo Dei, sicuti testa-*

tur

tur doctissimus Morinus. En! SS.mo D. N. Morinus non est *falsissimus*, sed *doctissimus*, quod haud dubiè fatebuntur, qui sine passione legerint, non tantùm unum & alterum textum, sed integra Opera Morini, præsertim *de Pœnitentia*, in quo immensæ eruditionis industriâ viginti quinque annis desudavit.

Hallucinatio 126. *Nescio cujus in-* 126
dustriâ factum est, ut Parochis huiatis diœcesis fuerit publicis litteris denuntiatum, Refutationem Ideæ divini amoris esse Romæ confixam, ut adeò Parochi à noxiis arceantur pabulis. Dico tamen, Refutatio Ideæ neutiquam à summo Pontifice est confixa quoad sententias Ideæ contrarias. f. 80. 81. N. 98. 100. 113.

Animadversio. Quis hic modus? Quæ tanta fiducia menti? Denuntiata est Romæ ad S. Congregationem Indicis Refutatio, quâ P. Lienhardius Erot. 3. & 4. refutaverat Authorem Ideæ. Confixio Libri Lienhardiani, facta à S. Congregatione, ab eadem per Secretarium S. Congregationis transmissa ad Ser.mum ac RR.mum Episcopum Augustanum, per totam Diœcesin à RR.mo Vicario Generali, ùt fas erat, promulgatur. Promulgationi ratio additur; ut Parochi *à noxiis pabulis*

arceantur. Cùm autem falsus per Diœcesin spargeretur rumor, Libellum Lienhardii confixum esse tantummodo ob defectum debitæ approbationis, non ob sententiarum falsitatem, novum à S. Congregatione Indicis ad *P. Lienhardium* Rescriptum venit, in quo ipsi in specie exhibentur propositiones corrigendæ, & expungendæ. His non obstantibus P. Virgilius sub prætextu, quòd immediatè à Summo Pontifice confixio facta non sit, audet directè & publicè defendere sententias in Libello Lienhardiano à S. Congregatione notatas & expungi jussas. Quodnam hujus insolentiæ præmium P. Virgilius relaturus sit, Superioribus relinquo; hoc tamen ipsi denuntio, eos excommunicationis sententiam aut certè peccati mortalis reatum incurrere, qui pertinaciter librum à S. Congregatione confixum & ab Ordinario promulgatum legunt aut retinent. In Regulis Indicis Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editis à Pio IV. & Clemente VIII. per speciales Bullas confirmatis & innovatis, post *Regulam X.* hæc adjiciuntur: *Ad extremum omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem libros aliquos legere*

aut

aut habere. Quòd si quis libros hæreticorum, vel cujusvis authoris scripta, ob hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò libros, alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur. Si legere librum à S. Congregatione Indicis proscriptum, ac debitè promulgatum, crimen est, quanto majori reatu se obstringet, qui talem librum, & sententias in eo expurgari jussas tuetur, & defendit?

Hallucinationes 12. à P. Virgilio repetitæ, & conglobatæ à fol. 81. usque ad fol. 93.

Animadversio. Cùm P. Virgilius intra hæc folia editurus rationem, cur se confixioni Romanæ conformare nequeat, solùm repetat Hallucinationes hactenus confutatas, tœdet cum Lectoris fastidio Animadversiones repetere. Sufficerit annotare numeros Animadversionum, in quibus Hallucinationum repetitarum falsitas retecta est. Itaque Hallucinationibus, quas P. Virgilius repetit Num. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. opponuntur sequentes Animadversiones.

Ad N. 101. vide *Animadv.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 28.

Ad N. 102. vide *Animadv.* 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 23. 30.

Ad N. 103. vide *Animadv.* 6. 20. 21. 22. 25. 26. 29. 36.

Ad N. 104. vide *Animadv.* 1. 8. 121. 122. 123.

Ad N. 105. vide *Animadv.* 47. 48. 57. 59. 65.

Ad N. 106. vide *Animadv.* 25. 26. 72.

Ad N. 107. vide *Animadv.* 6. 7. 77. 78. 79. 80. 120. &c.

Ad N. 108. vide *Animadv.* 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19 23. 30. 79. &c.

Ad N. 109. vide *Animadv.* 8. 104. 123.

Ad N. 110. vide *Animadv.* 120. 123.

Ad N. 111. vide *Animadv.* 121. 122.

Ad N. 112. vide *Animadv.* 121. 122.

127 Hallucinatio 127. *Probibitio à S. Congregatione Indicis facta Libri Lienhardiani non eſt facta relatè ad ſententias, cùm hæ contineant doctrinam prorſus innocuam.* fol. 99. N. 114.

Animadverſio. Quòd Liber Lienhardianus ſit confixus, & proſcriptus relatè ad ſententias, manifeſtum eſt ex Reſcri-

ſcripto S. Congregationis, quòd ſi requirere ab Ordinario voluiſſet P. Virgilius, ab effutiendis ejusmodi calumniis abſtinuiſſet.

Hallucinatio 128. *Author Ideæ docet, quòd voluntas ſe ſalvandi, vel vivendi chriſtianè ſit charitas Theologica.* fol. 94. N. 115. 128

Animadverſio. Hoc falſum eſſe, patet ex *Animadv.* 65. Conſtanter enim docui, & doceo, quòd non poſſit dari charitas Theologica ſinè efficaci propoſito exhibendi Deo actus eſſentiales practicos amoris amicitiæ, ex ſuo genere gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos; quod propoſitum non dicit præcisè voluntatem ſe ſalvandi, aut vivendi quomodocunque chriſtianè, ſed præſtandi Deo *grata opera*, aliunde indebita.

Hallucinatio 129. *Author Ideæ docet, quòd contritio nunquam ſit perfecta, & juſtificativa extra Sacramentum.* fol. 94. N. 115. 129

Animadverſio. Quòd hoc falſiſſimum ſit, oſtenſum eſt *Animadv.* 121. & 122.

Hallucinatio 130. *Verè demonſtravi, non eſſe confixam eam ſententiam, quòd actus charitatis perfectæ conſiſtat in pura benevolentia erga Deum.* fol. 95. N. 117. 130

Animadverſio. Id adeo non eſſe demonſtratum, ut potiùs longè verius ſit, eam ſententiam indirectè damnatam eſſe, oſtenſum eſt *Animad.* 4. Textus autem Thauleri, quem affert P. Virgilius pro ſe, potiùs confirmat noſtram, quàm illius ſententiam; Thaulerus enim cautè docet, non eſſe à puro amore quærendum ullum bonum creatum præter Deum; *Purus amor*, inquit, *nec in æternis bonis ſe ſe quærere debet, puta, ut magnam cupiat in cælis gloriam, honorem, mercedem pro bonis ſuis actibus conſequi.*

Hallucinationes centum repetitæ, & conglobatæ à fol. 95. uſque ad fol. 115.

Animadverſio. Cùm ipſemet P. Virgilius citet numeros, in quibus ſua, ùt putat, argumenta invicta jam prius fusè deduxerat, Lectorem ad Animadverſiones meas remitto, quibus illa argumenta juxta numerorum ordinem omni ſpecie ullius probabilitatis carere oſtendi.

Hallucinatio 131. *Fama erat ex publicatione prohibitionis Lienhardiani Libri nata, quòd ipſæ ſententiæ Lienhardii ſint prohibitæ, quod hucusque oſtendi, non eſſe poſſibile, & Lienhardium in*

poſ-

possessione suæ præclarissimæ doctrinæ esse immobilem. fol. 115. N. 135.

Animadversio. Duo hîc falsissima asserit P. Virgilius. *Primum* est, quòd liber Lienhardii non sit prohibitus quoad sententias: contrarium enim demonstrat Rescriptum ex S. Congregatione Indicis, quod Præfationi annexui. *Alterum* est, quòd P. Lienhardius in possessione suæ præclarissimæ doctrinæ maneat immobilis: contrarium enim ostendit ipsemet P. Lienhardius in sua quadam Epistola, in qua se correctionibus S. Congregationis Indicis religiosâ sanè modestiâ subjicit. Quòd si tamen P. Virgilius famæ publicæ non credidit, an non potuisset ac debuisset priùs consulere suum Ordinarium, à quo facilè resciîsset certiora? An non potuisset ac debuisset consulere ipsummet P. Lienhardium? Rescripsisset sine dubio, sibi à S. Congregatione communicata quidem fuisse *emendanda*, *corrigenda*, & *expungenda*; sed in hunc diem à se impetrari non potuisse Approbationem suæ *Apologiæ*, nisi priùs revideatur à S. Congregatione Indicis, ut monstret omnia sufficienter correcta fuisse ad mentem S. Congregationis. Hîs omnibûs neglectîs notitiîs, P. Virgilius affectatâ ignorantiâ falli & fallere maluit quàm instrui.

Ut

Ut autem P. Virgilius meliùs discat, quomodo se gerere soleant ac debeant Parochi eruditi, ac supra Scholarum discipularium pulveres *verè docti*, circa instructionem plebis de primo mandato, annecto *Casum Conscientiæ*, quem refert ac resolvit Pontasius in suo *Dictionario Casuum Conscientiæ*. Tit. *Charitas*. in sexta editione, quæ Venetiis prodiit, sic habet:

CASUS.

„ BErtholdus, antiquus Parisiensis Doctor & magnæ Urbis Lugduni Parœciæ Curatus, Mainfredum alterius Universitatis adolescentem Baccalaureum, Vicarium „ sibi adsciscere cupiens, peritiam ipsius, Catechismô coram se factô experiri voluit; in quo, cùm „ Charitatis istam definitionem attulisset „ Baccalaureus: Charitas est *amor Dei „ super omnia*, consilium mutavit Bertholdus eum tali implendo muneri „ idoneum non existimans. Nunquid „ jure istam charitatis definitionem cul„ pavit Bertholdus, atque in hoc Mainfredum injuriâ affecit?

RE-

RESPONSIO.

JUre merito definitionem Charitatis „ Theologicæ à Mainfredo allatam „ Parochus reprehendit: quia, licèt „ charitas ſit amor Dei ſuper omnia, „ in eo tamen culpandus eſt Baccalau- „ reus, non ſolùm, quòd nullum huic „ definitioni ſignum appoſuerit, quo „ charitatem, ùt habitus eſt, ſecerne- „ ret ab ipſius actu, qui eſt amor Dei „ ſuper omnia; ſed quia nullum ex mo- „ tivis explicuit, quibus ad talem Dei „ amorem inducimur.

„ I. Id à nobis aſſeritur, Mainfredum „ reprehenſione non eſſe dignum, quòd „ dixerit, hanc virtutem, quæ tertia „ eſt Theologica, conſiſtere in amore „ Dei ſuper omnia: Sic enim definie- „ runt in Sorbona 25. & 27. Octobris „ Anno 1718. centum triginta-ſeptem „ Doctores ſacræ Facultatis Theologicæ „ Pariſienſis hîs verbîs: *Amor Dei „ ſuper omnia, qui charitatis in- „ choatæ ſaltem actus ſit, neceſſarius „ eſt, ut ab adultis obtineatur re- „ miſſio peccatorum in Sacramentis Bap- „ tismi & Pœnitentiæ.* Quod omnino „ conforme eſt Declarationi univerſæ ſa- „ cræ Faculatis, quæ 23. Julii Annô 1716.

„ 1716. facta, prima die Auguſti ejus-
„ dem anni confirmata eſt occaſione
„ Cenſuræ errorum Tractatûs de Pæni-
„ tentia, quem Doctor ſuis dictârat di-
„ ſcipulis in Univerſitate Rhemenſi, in
„ qua docebat.

„ II. Addimus, Mainfredum in eo eſſe
„ culpandum, quòd non ſatis expli-
„ cuerit, quæ ſint motiva, quibus in-
„ hærere Deo debemus, & quibus ſpe-
„ ciem ſuam charitas ſortitur, ac dua-
„ bus reliquis Theologicis virtutibus
„ fide & ſpe ſecernitur, ùt conſtat ex
„ triplici harum virtutum definitione.
„ *Fides* eſt virtus Theologica, quâ fir-
„ miter aſſentimur Deum eſſe, & om-
„ nibus, quæ Deus ipſe revelavit, &
„ nobis per Eccleſiam credenda propo-
„ ſuit. *Spes* eſt virtus Theologica,
„ quâ certa cum fiducia promiſſa nobis
„ bona à Deo expectamus, ſcilicet bea-
„ titudinem æternam cum gratiis aliis-
„ que auxiliis ad eam aſſequendam ne-
„ ceſſariis. *Charitas* eſt virtus Theo-
„ logica, quâ Deum diligimus ùt in ſe
„ infinitè bonus eſt & perfectus, & ùt
„ ſummum bonum noſtrum & finis ul-
„ timus noſter eſt, & proximum propter
„ Deum. Quæ definitio conformis eſt
„ ſuprà dictorum centum triginta - ſe-

ptem

„ ptem Doctorum declarationi, cujus
„ n. 44. §. 1. hæc sunt verba: *Hic amor*
„ *fertur in Deum, tum ùt in se summè*
„ *bonus est, tum ùt est summum bonum no-*
„ *strum: quæ duo complectitur charitas,*
„ *inter virtutes Theologicas tertia, sicut*
„ *ex sacris Litteris liquet, & sancti Pa-*
„ *tres docuerunt.*

„ III. Hæc doctrina Scripturæ sacræ
„ perfectè conformis est: licèt enim Deus
„ possit diligi, ùt in se summè bonus est
„ & perfectus, præcisa illa bonitate, quâ
„ nobis bonus est, & possit etiam diligi,
„ ùt summum nobis bonum, non consi-
„ deratîs actu infinitîs suîs perfectioni-
„ bûs; Scriptura tamen sæpe hæc duo
„ conjungit motiva; ùt videre est in
„ multis Psalmis David, quorum tres hîs
„ verbîs Rex iste auspicatur, nempe Psal.
„ 105. 106. & 117. *Confitemini Domino*
„ *quoniam bonus: quoniam in sæculum*
„ *misericordia ejus:* quo sensu in aliis
„ Psalmis sese Propheta exprimit, v. g.
„ Psal. 63. 71. 85. 88. 98. 99. 102. 112.
„ 135. 137. 144. & 146. Eodem modo
„ loquuntur tres illi Heröes Babylonii
„ Regis jussu in candentem fornacem
„ projecti, & ex ea absque læsione egressi
„ ad laudandam supremam illius magni-
„ tudinem & amorem suum testandum.
„ Daniel. 3. v. 89. Uno verbo Scriptura

„ sacra

„ ſacra ſimilibûs eſt referta terminîs,
„ quos ad preces ſuas adoptavit Eccleſia,
„ ùt in Hymno eximio, qui ad finem
„ Matutini recitatur, in quo celebratis
„ Dei in tribus perſonis laudibus, decem
„ verſus ultimos ad extollendam ipſius
„ miſericordiam, unicum ſpei ſuæ fun-
„ damentum adhibet. Sancti Patres Ec-
„ cleſiæ menti ſemper conformes hæc
„ duo quoque ſæpe motiva conjungunt,
„ quæ ad amorem Dei nos inducere de-
„ bent, ùt in ſcriptis eorum videre eſt;
„ v.g. S. Clemens Alex. L. 7. Stromatum.
„ S. Gregorius Nazian. Orat. 3. & Epiſt.
„ 57. S. Ambroſius L. 7. de Abram. c. 8.
„ S. Chryſoſtomus Hom. 76. in Joan. Et
„ Homil. 13. in Epiſt. ad Hebr. S. Augu-
„ ſtinus in Pſal. 55. v. 10. S. Bernardus
„ Epiſt. 431. Quæ etiam pariter conjun-
„ git S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 9. c. ad
„ probandum, orationem Dominicam
„ omnium eſſe perfectiſſimam hîs verbîs:
„ *Manifeſtum eſt autem, quòd primò ca-*
„ *dit in deſiderio noſtro finis, deinde ea,*
„ *quæ ſunt ad finem. Finis autem noſter*
„ *Deus eſt, in quem affectus noſter ten-*
„ *dit dupliciter. Uno quidem modo, prout*
„ *volumus gloriam Dei. Alio modo, ſe-*
„ *cundùm quod volumus frui gloriâ ejus;*
„ *quorum primum pertinet ad dilectionem*
„ *Dei, quâ Deum in ſeipſo diligimus; ſe-*

cun-

„ *cundum verò ad dilectionem, quâ dili-*
„ *gimus nos in Deo. Et ideo prima peti-*
„ *tio ponitur : Sanctificetur nomen*
„ *tuum, per quam petimus gloriam Dei;*
„ *ſecunda verò ponitur: Adveniat Re-*
„ *gnum tuum, per quam petimus ad*
„ *gloriam Dei, & Regni ejus perveni-*
„ *re* &c.

„ IV. Denique iſta doctrina conſen-
„ tit cum Catechismo Pariſienſi juſſu RR.
„ DD. Franciſci de Harlai editi, in quo
„ ſic habetur: *Quid eſt amare Deum?*
„ R. *Eſt animo inhærere Deo tanquam*
„ *ſumo noſtro bono & fini ultimo.* Ex qui-
„ bus verbis conſtat nos, ùt diximus, ex
„ charitate, non inhærere tantùm Deo,
„ ùt in ſe infinitè bono, ſed ût ſummo
„ bono noſtro: Unde hæc duo motiva
„ entis infinitè in ſe boni, & in nos be-
„ nefici in praxi ſunt indiviſa, & per
„ mentis abſtractionem duntaxat à ſe in-
„ vicem dividuntur: ita ut motivis illis
„ ſimul junctis, charitas tamen rema-
„ neat pura, integra, non quærens ſua,
„ filialis & perfecta. Equidem in bo-
„ num duntaxat propendet humana vo-
„ luntas, & ſine affectu atque compla-
„ centia in illud propendere nequit, un-
„ de Deum verè diligere nequit homo,
„ niſi invigilantem ſibi providentiam, ſa-

„ pientiam illuminantem, omnipoten-
„ tiam tuentem, ſanctitatem omnis ju-
„ ſtitiæ fontem, miſericordiam commi-
„ ſerantem conſideret, ac tandem ipſius
„ juſtitiam, quæ terret minîs, ut ad
„ pœnitentiam vocet, & ad fiduciam,
„ quæ intuitu ipſius bonitatis ac promiſſi
„ nobis præmii excitatur. Charitas er-
„ go, duo ſemper, de quibus diximus,
„ motiva complectitur.

„ V. Quæ cùm ita ſint: fatendum,
„ non ſatis aptè à Mainfredo defini-
„ tam fuiſſe charitatem, cujus natu-
„ ram ut ritè fideles Catechismo do-
„ ceret, ipſis fuiſſe inculcandum, ea
„ virtute exigi, ut Deum ſuper omnia
„ diligamus, non ſolùm, quia in ſe in-
„ finitè bonus, ſed etiam ſumma eſt bea-
„ titudo noſtra: attamen dici nequit,
„ Mainfredo injuriam intuliſſe Berthol-
„ dum; quippe qui ipſum ſibi Vicarium
„ admittere non teneretur, eáque res
„ omnes latuerit, ac proinde fuerit abs-
„ que ſcandalo activo vel paſſivo ſeu re-
„ latè ad Mainfredum, aut quemlibet
„ alium.

132 Hallucinatio 132. *Euſebius Amort invaſit ipſam Conceptionem Immaculatam B. Virginis propugnandô ſuppoſitum S. Thomæ directè everſivum Immaculatæ Conceptionis, quòd nempe Eccleſia die 8. Decem-*

cembris celebret diem conceptionis quoad corpus cum ſanctificatione ignorata quoad diem. Itaque evertit Immaculatam Conceptionem, pugnat contra conſtitutiones Apoſtolicas, & contrahit reatum ad pœnas in illis ſtatutas. à fol. 116. usque ad fol. 126.

Animadverſio. In his paucis lineis calumniæ multæ, & graves ſunt, quas ut P. Virgilius revocet, tenetur lege naturali, divina & humana; neque enim in materia detractionis, præſertim tam gravis & publicæ, & erga (abſit gloriari) perſonam honoratam ab Epiſcopis, Cardinalibus, ac ipſo Summo Pontifice, dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Videamus jam calumnias.

Calumnia prima eſt, quòd Immaculatam Conceptionem impugnem, aut unquam impugnaverim.

Calumnia ſecunda eſt, quòd ſuppoſitum S. Thomæ directè evertat Immaculatam Conceptionem.

Calumnia tertia eſt, quòd negem, in Eccleſia die octavo Decembris coli conceptionem B. Virginis rationalem.

Prima & tertia calumnia cuilibet patet ex ipſis meis verbis in hoc ipſiſſimo textu, quem P. Virgilius calumniosè in ſenſum pravum detorquet. Do totum

contextum meorum verborum, ex quibus manifestum erit, quòd præcisè negem, die octavo Decembris animam corpusculo B. Virginis infusam esse; hoc enim credo esse falsum, & prorsus alienum à mente Ecclesiæ. Interim eodem loco asserui, Ecclesiam etiam juxta D. Thomam celebrâsse, ac etiam nunc juxta mentem plerorumque diè octavo Decembris celebrare conceptionem rationalem, seu sanctificantem in ipso momento infusionis animæ, quæ infusio animæ, quo die post conceptionem corporalem die octavo Decembris factam contigerit, ignoratur ab Ecclesia. Itaque sensus meorum verborum erat iste: Ecclesia eo die, quo contigit conceptio B. Virginis quoad corpus, celebrat reipsa conceptionem rationalem, seu infusionem animæ, quocunque demum die sive decimo, sive trigesimo, sive quadragesimo, sive octogesimo post conceptionem corporalem contigerit. Textus meus sic habet: *Revelationes Agredanæ dicunt, Ecclesiam celebrare diem Conceptionis B. Virginis quoad animam* (ita, ut Ecclesia sentiat, die octavo Decembris animam corpusculo B. Virginis infusam esse) *& non quoad corpus* (conceptionem enim B. Virginis corporalem Revelationes Agredanæ asserunt factam esse die primo Decembris) *Novem-*

men-

menſes, inquiunt, *qui interceſſerunt inter feſtum Nativitatis & Conceptionis B. Virginis* (à die 8. Decembris usque ad diem 8. Septembris) *interceſſerunt ab infuſione animæ rationalis usque ad Nativitatem. Ita docent Revelationes Agredanæ part.* 1. *n.* 220. (At verò hæc non rectè dici, ex eo oſtendo) *Qualis fuerit ſenſus Eccleſiæ in inſtitutione feſtorum, colligi debet ex ſenſu Doctorum, qui ſunt os Eccleſiæ. D. Thomas autem teſtatur, ideo* (die octavo Decembris, quo contigit conceptio corporalis) *celebrari feſtum Conceptionis* (rationalis) *quia ignoratur dies ſanctificationis in utero, ſeu infuſionis animæ rationalis. Itaque ſupponit, celebrari diem conceptionis quoad corpus* (hoc eſt, diem quo conceptum eſt corpus B. Virginis) *quod ipſum declarat intervallum novem menſium inter illa duo feſta* (à die octavo Decembris uſque ad diem octavum Septembris) *cùm enim antiquius nullus docuerit, quòd anima corpuſculo B. Virginis fuerit infuſa ſtatim ſeptimo die poſt conceptionem corporalem, prout docent Revelationes Agredanæ, non potuit Eccleſia illud intervallum* (novem menſium) *referre ad conceptionem rationalem, & Nativitatem; adeoque neceſſariò debuit illud computari à conceptione corporali* (ita ut dies feſtivus ce-

lebretur quidem die conceptionis corporalis, ita tamen, ut intentio, & cultus celebrantium referatur ad conceptionem rationalem, seu infusionem animæ Immaculatæ, cujus infusionis dies ignoratur ab Ecclesia) *Interim non adversor Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, sed paratus sum eam solidè tueri; credo enim, nunc eo sensu coli à plerísque hoc festum, ut venerentur Conceptionem rationalem.* Hic est totus meus textus, ex quo P. Virgilius auriginosis oculis calumniosè exsculpere attentat, quòd reipsa impugnem Immaculatam Conceptionem. Quid multis contendam? Lectori ingenuo, considerenti contextum, patet calumnia.

Dices cum P. Virgilio. Conceptio B. Virginis quoad corpus non est sancta. Ergo erroneum est, celebrari ab Ecclesia conceptionem B. Virginis quoad corpus. Ita ille fol. 117. N. 138.

Respondeo. A me non dici, quòd Ecclesia celebret *Conceptionem* B. Virginis *quoad corpus*; sed quòd celebret *diem Conceptionis quoad corpus*. Aliud est celebrare festô Ecclesiasticô *diem victoriæ* obtentæ contra Turcas *ad Echinadas*, & ad *Pragam*, & ad *Belgradum*; & aliud est *celebrare ipsam victoriam*. Sic in veteri Testamento Deus sæpe præcipit, ut

dies

dies facti alicujus celebris sit *memorialis*, & *solennis in sempiternum. Celebrabitis diem solennem cultu sempiterno.* Exodi 12. v. 14. Sic etiam Ecclesia celebrat *diem Dominicum*, *diem Inventionis S. Crucis &c.* Ad celebrandum diem sufficit, quòd factum, cujus celebratur memoria, sit *relativum* ad aliquam causam, aut finem supernaturalem. Sic Bollandiani testantur, antiquitus etiam celebratam fuisse *Conceptionem S. Joannis Baptistæ*, ita ut ea phrasi Ecclesiæ solùm intelligeretur celebrari *dies conceptionis corporalis.* Ad diem 24. Junii c. 2. §. 2. n. 48. sic scribunt: *Festum S. Joannis B. cultus celebritate ultimum, ordine autem temporis primum est Conceptionis, inscriptum vetustis omnibus Latinis Martyrologiis Hyeronimi, Bedæ, Adonis, Usuardi, Notkari, Rabani. Nec invenio* (antiquum ullum Scriptorem Martyrologiorum) *qui festum illud omiserit notare ad* 24. *Septembris ante Bellinum de Padua, qui Usuardi Martyrologium Venetiis edidit anno* 1498. *Hìc illa primùm omissa reperitur.* Ibidem Bollandiani observant, quòd *Græci, die nono Decembris celebraturi passivam Conceptionem S. Mariæ appellent Conceptionem S. Annæ.* Ex his ergo patet, die octavo Decembris convenienter celebrari potuisse ac posse ab Ecclesia *diem conceptionis quoad corpus*

B. Virginis, etiamsi ille dies solùm celebretur *ob relationem conceptionis corporalis ad conceptionem rationalem*, cujus dies ignoratur ab Ecclesia, cum dies infusionis animæ rationalis nec à traditione, nec ex Scriptura, nec ex ullo alio certô principio Ecclesiæ perspectus sit.

Secunda calumnia non solùm in me, sed etiam in ipsum Doctorem Angelicum, immo in contumeliam ipsius B. Virginis, & ejus Immaculatæ Conceptionis redundat; si enim ille modus loquendi, quo S. Thomas, & magna pars veterum Doctorum, eruditione & sanctitate illustrium, utitur, *Immaculatam Conceptionem directè evertit*, prout calumniatur P. Virgilius, sequitur, quòd Sæculo XII. & XIII. nulla extiterit traditio *universalis* Ecclesiæ, aut alicujus *Apostolicæ*, de mysterio Immaculatæ Conceptionis. Itaque cùm juxta communem Theologorum sententiam non possit condi novus articulus fidei, qui probari non possit ex Scriptura & traditione, consequitur, quòd deficiente constanti traditione Ecclesiæ, articulus de Immaculata Conceptione non sit *definibilis* ab Ecclesia, quod asserere cedit in gravissimum præjudicium Immaculatæ Conceptionis. Non igitur ego Immaculatam Conceptio-

nem

nem impugno, qui D.Thomam & veteres Doctores benigna, eáque vera interpretatione cum ſententia pia concilio, ſed P.Virgilius partes hoſtis nocentiſſimi agit, dum B. Virgini Angelicum cum antiquis Doctoribus ſimillima phraſi utentibus, Immaculatæ verò Conceptioni reipſa per conſequentiam neceſſariam *definibilitatem* eripit. Sed jam tandem celebrem illum textum D. Thomæ inſpiciamus, an, prout P. Virgilius prætendit, *Immaculatam Conceptionem directè evertat.* Textus reperitur in part. 3. Summæ. q. 27. art. 1. Cùm ergo S. Thomas huic tertiæ parti necdum abſolutæ fuerit immortuus, colligitur, hunc textum ab eo ultimo anno vitæ ſuæ ſcriptum eſſe. Sic ſcribit: *Dicendum, quòd de ſanctificatione beatæ Mariæ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus nativitate mentionem facit. Sicut tamen Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit aſſumpta in cœlum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gra-*

tiæ acceperit. Unde, ùt legitur Luc. 1. *Angelus ei dixit: Ave gratia plena. Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegium esse concessum, ut in utero sanctificarentur, sicut Hieremiæ, cui dictum est Hier.* 1. *Antequam exires de vulva, sanctificavi te; & sicut Joanni Baptistæ, de quo dictum est Luc.* 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ. Unde rationabiliter creditur, quòd beata Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur.* Hunc textum dico, non evertere Immaculatam Conceptionem; econtra P. Virgilius contendit, quòd evertat Immaculatam Conceptionem. Ego benigna, eáque vera interpretatione usus textum sic explico, quòd S. Thomas sanctificationem B. Virginis in utero referat ad ipsum momentum infusionis animæ in ejus corpusculum, quamvis tempus, & dies hujus infusionis & sanctificationis simultaneæ ignoretur, Ecclesiæque incertum sit, primóne mense post Conceptionem corporalem, an secundo, vel tertio medio, octogesimo videlicet die in utero materno facta sit. Hanc meam expositionem in meo textu superiùs adducto insinuavi illîs verbîs: *Quia ignoratur dies sanctificationis in utero, seu infusionis animæ rationalis.* Ratio autem, cur credam, quòd D. Thomas sanctifi-

ctificationem B. Virginis retulerit ad ipſum momentum infuſionis animæ, petitur à me ex ipſo textu; quia Angelicus dicit, quòd B. Virgo omnibus aliis Sanctis majora privilegia acceperit. Cùm ergo S. Joannes B. in utero materno ſanctificatus fuerit ſexto menſe à ſua Conceptione corporali, poterat, & debuerat D. Thomas conſequenter inferre, quòd B. Virgo fuerit ſanctificata ſimul in ipſo momento infuſionis animæ rationalis. Hæc mens D. Thomæ valde probabilis ac veroſimilis adeo non evertit myſterium Immaculatæ Conceptionis, ut illud etiam valde confirmet. Hinc in *Baſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, ubi inſerui vitam B. Virginis ſcriptam *à Sandino*, *Seminarii Patavini Præfecto*, non opus eſſe ducebam, ut ex opere viri præclariſſimi, jam bis recuſo in Italia, & ſemel Herbipoli in Germania, expungeretur textus S. Thomæ, cautelâ tamen ob ſcandalum phariſaicum uſus ſequentem annotationem his verbis appoſui: *Hoc loco addendas Sandino cenſui Conciliorum, & Summorum Pontificum latas in favorem Immaculatæ Conceptionis ſententias, ut Lectores agnoſcant, ſibi non fore licitum, eam etiam in diſcurſibus privatis impugnare, aut temerè contra ſenſum communem Eccleſiæ in dubium revocare.* Quid ſcribere po-

poteram in favorem Immaculatæ Conceptionis luculentius ? & tamen post plura manifesta in variis aliis meis editis libris pro Immaculata Conceptione testimonia P. Virgilius calumniari non veretur, à me impugnari calamô Immaculatam Conceptionem ? Revocet jubente lege naturali, & divina, & humana enormem calumniam.

Objicit P. Virgilius fol. 119. quòd S. Thomas expresse doceat in illo ipso articulo, quòd B. Virgo contraxerit maculam originalis culpæ, & quòd contraxerit originale peccatum.

Respondeo distinguendo : Juxta D. Thomam B. Virgo contraxit peccatum originale quoad *esse materiale* hujus peccati. Concedo. quoad esse formale hujus peccati. Subdist. contraxit illud *debito proximo*, & in *actu primo*. Concedo. *reipsa, & in actu secundo*. Nego.

Materiale peccati originalis est fomes radicalis consistens in destitutione vigoris primigenii Adamo infusi, seu qualitatis supernaturalis, vi cujus Adamus, si perseverâsset, propagâsset physicè justitiam originalem, sicut nunc juxta Thomistas Sacramenta physicè causant gra-

gratiam. Hæc deſtitutio vigoris illius primigenii juxta D. Thomam erat in ſemine parentum, & conſequenter etiam in corpuſculo B. Virginis ante infuſionem animæ.

In eo proin ſenſu juxta Angelicum contraxit peccatum originale quoad ſuum eſſe materiale. Sed conſtitutivum formale peccati originalis eſt actualis privatio gratiæ ſanctificantis; & hæc privatio in nullo unquam inſtanti reali temporis extitit in B. Virgine. Quòd autem D. Thomas per hos terminos, *peccatum originale*, *contrahi peccatum originale*, ſæpè tantùm intelligat *materiale* peccati originalis, ſeu *concupiſcentiam radicalem*, quæ in embrione ante infuſionem animæ rationalis dari poterat, ex ſequentibus textibus patet:

1. In 2. Sent. Diſt. 30. q. 1. a. 3. c. ſic ait: *Dicendum, quòd in quolibet peccato eſt invenire aliquid formale, & aliquid materiale. Si enim conſideremus peccatum actuale, ipſa ſubſtantia actu deordinati materialiter in peccato ſe habet: ſed deordinatio à fine, formale in peccato eſt; quia ex hoc rationem mali præcipuè habet: Unde dicitur, quòd converſio ad bonum commutabile, eſt ibi ſicut materiale, & averſio à bono incommutabili, eſt*

ſicut

ſicut formale. --- Sicut autem peccatum actuale conſiſtit in deordinatione actûs : ita etiam peccatum originale conſiſtit in deordinatione naturæ. Unde oportet, quòd ipſæ vires deordinatio virium ſint, ſicut materiale in peccato originali, & ipſa deordinatio à fine ſit ibi ſicut formale. Illa autem pars, quæ per ſe nata eſt conjungi fini, eſt ipſa voluntas, quæ habet ordinem finîs omnibus aliis partibus imponere, & tunc deſtitutio ipſius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in inſtitutione naturæ, in peccato originali formale eſt, & hoc eſt privatio originalis juſtitiæ : vires autem appetitûs ſenſibilîs, ſunt natæ recipere ordinem ad finem ab ipſa voluntate, ſecundùm quod ſibi ſubjectæ ſunt : & ideo ſubtractio illius vinculi, quo quodammodo ſub poteſtate voluntatis rectæ detinebatur, materiale in peccato eſt. Ex hac autem ſubtractione ſequitur, quòd unaquæque vis in ſuum objectum inordinatè tendat, concupiſcendô illud: & ideo concupiſcentia, qua habiles ſumus ad malè concupiſcendum peccatum originale, dicitur quaſi materiale in peccato originali exiſtens : eſt enim conſiderare materiale & formale in actibus moralibus, ſicut in rebus artificialibus, in quibus materia de

toto

toto prædicatur, ut possit dici: Cultellus est ferrum. Et similiter de peccato prædicari potest illud quod est materiale in ipso, & per hunc modum peccatum originale concupiscentia dicitur. Similes textus sunt plurimi in D. Thoma v. g. l. cc. ad 1. 2. & 4.

II. *De malo* q. 4. a. 2. c. dicit: *Peccatum originale in isto homine vel in illo nihil est aliud, quàm id, quod ad ipsum pervenit per originem ex peccato primi parentis: sicut peccatum in manu aut in oculo nihil aliud est, quàm id, quod pervenit ad manum vel ad oculum ex motione primi principii peccantis, quod est voluntas. --- Id verò, quod pervenit ad manum de peccato unius hominis singularis, est quidam effectus & impressio motus primi inordinati, qui erat in voluntate: Unde oportet, quòd ejus similitudinem gerat. Motus autem voluntatis inordinatus est conversio ad bonum aliquod temporale absque ordine convenienti ad debitum finem; quæ quidem inordinatio est aversio ab incommutabili bono, & hoc est quasi formale, illud autem quasi materiale. --- Jam verò, si motus voluntatis pervenit ad aliquid, quod non est susceptivum peccati, puta ad lanceam vel gladium, non dicimus ibi esse peccatum, nisi virtualiter*

ter & per modum effectus --; quia non sunt aliquid hominis peccantis, sicut manus vel oculus. Sic ergo in peccato primi parentis fuit aliquid formale, scilicet aversio ab incommutabili bono, & aliquid materiale, scilicet conversio ad bonum cõmutabile. Ex hoc autem quòd aversus fuit ab incocõmutabili bono, donum originalis justitiæ amisit: ex hoc verò quòd conversus est inordinatè ad commutabile bonum, inferiores vires, quæ erigi debebant ad rationem, depressæ sunt ad inferiora. Sic ergo & in bis quæ ex ejus stirpe oriuntur, & superior pars animæ caret debito ordine ad Deum, & inferiores vires non subduntur rationi, sed ad inferiorà convertuntur secundùm proprium impetum. --- Sed superior pars animæ, & etiam quædam inferiorum virium, quæ sunt sub voluntate, & ei natæ sunt obedire, recipiunt hujusmodi sequelam primi peccati secundùm rationem culpæ: sunt enim culpæ susceptivæ hujusmodi partes. --- Et ideo cùm carentia originalis justitiæ se habeat ex parte voluntatis: ex parte autem inferiorum virium à voluntate motarum sit pronitas ad inordinatè appetendum, quæ concupiscentia dici potest, sequitur, quòd peccatum originale in hoc homine vel in illo nihil est aliud, quàm concupiscentia cum carentia originalis

nalis juſtitiæ. Ita tamen quòd carentia originalis juſtitiæ eſt quaſi formale in peccato originali : concupiſcentia autem eſt quaſi materiale , ſicut & in peccato actuali averſio ab incommutabili bono eſt quaſi formale : converſio autem ad commutabile bonum ſit quaſi materiale , ut ſic intelligatur in peccato originali averſa anima & converſa , ſicut in peccato actuali actus , ut ita dicam , averſus & converſus. Concedendæ ſunt ergo rationes , quibûs probatur , quòd originale peccatum ſit concupiſcentia.

III. Ibidem ad 4. *Dupliciter* (inquit) *aliquod agens poteſt eſſe habile ad aliquid agendum. Uno modo ex aliqua forma inclinante ad hoc , ſicut corpus grave ex forma ſua quam habet à generante inclinatur deorſum. Alio modo ex ſubtractione ejus quod impediebat , ſicut vinum effunditur fractîs circulîs , qui effuſionem impediebant , & equus concitatus præcipitanter vadit ruptô frænô , quo retinebatur. Sic ergo concupiſcentia habitualis poteſt dici dupliciter. Uno modo aliqua diſpoſitio vel habitus inclinans ad concupiſcendum , ſicut ſi in aliquo ex frequenti actuali concupiſcentia cauſaretur concupiſcentiæ habitus , & ſic concupiſcentia non dicitur originale peccatum.*

Alio modo poteſt intelligi habitualis concupiſcentia ipſa pronitas vel habilitas ad concupiſcendum, quæ eſt ex hoc, quòd vis concupiſcibilis non perfectè ſubditur rationi, ſublatô fræno originalis juſtitiæ. Et hôc modô peccatum originale materialiter loquendô eſt habitualis concupiſcentia.

IV. In 2. Sent. Diſt. 32. q. 1. a. 1. ad 1. ait: *In originali juſtitia erat aliquid quaſi formale, ſcilicet ipſa rectitudo voluntatis, & ſecundùm hoc quod ſibi opponitur, culpæ deformitas: erat in ea etiam aliquid quaſi materiale, ſcilicet ordo rectitudinis impreſſus in inferioribus viribus: & quantum ad hoc opponitur ſibi concupiſcentia, & fomes: quamvis ergo non reſtituatur originalis juſtitia, inquantum ad id quod materiale in ipſa erat, reſtituitur tamen quantum ad rectitudinem voluntatis, ex cujus privatione ratio culpæ inerat.*

V. De Malo. q. 4. a. 3. c. ſic ait: *Semen carnale, ſicut eſt inſtrumentalis cauſa traductionis humanæ naturæ in prole, ita eſt inſtrumentalis cauſa traductionis peccati originalis, & ita peccatum originale eſt in carne, id eſt in carnali ſeminis virtute, ſicut in cauſa inſtrumentali. Deinde conſiderandum eſt, quòd duplex eſt ordo, ſcilicet naturæ & tempo-*

ris

ris. Ordine quidem naturæ perfectum est prius imperfectô, & actus potentiâ: ordine verò generationis & temporis èconverso imperfectum est prius perfectô, & potentia actu. Sic ergo in ordine naturæ per prius est peccatum originale in anima, in qua est sicut in proprio subjecto, quàm in carne, in qua est sicut in causa instrumentali; sed in carne est per prius ordine generationis & temporis.

VI. De Malo. q. 4. art. 2. ad 11. sic ait: *Dicendum, quòd concupiscentia potest dupliciter considerari. Uno modo secundùm quod est in alio: & hôc modô concupiscentia, quæ est in parte, ponitur causa originalis peccati, quod est in filio, & non est essentia ejus, sed præcedit ipsum. Alio modo potest considerari, secundùm quod est in eodem; & sic est causa per modum materiæ, quæ est de essentia rei, & præcedit quodammodo per modum materiæ: sicut & corpus præcedit animam in ordine causæ materialis. Dictum est enim suprà, quòd ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, inficitur anima, ad quam pertinet carentia originalis justitiæ.* Ita D. Thomas.

Nec obstat, quòd D. Thomas dicat, B. Virginem esse *mundatam* à peccato, & quòd incurrerit *maculam culpæ*; Ea enim mun-

mundatio non præſupponit *maculam* actualem, ſed *radicalem*, ſeu debitum proximum ad privationem gratiæ; ſic enim juxta eundem S. Doctorem, quando per extinctionem candelæ datur in aëre debitum proximum ad tenebras, reaccenſio lucis immediatè ſubſequens, ſeu nova illuminatio aëris rectè diceretur mundatio aëris à tenebris. In 1. 2. q. 113. a. 8. ad 1. ait: *Sol per ſuam lucem agit ad removendum tenebras* (aëri connaturales) *& ideo ex parte ſolis prius eſt illuminare, quàm tenebras removere. ex parte autem aëris illuminandi prius eſt purgari à tenebris, quàm conſequi lumen ordine naturæ, licèt utrumque ſit ſimul tempore. Sic ex parte Dei ordine naturæ prior eſt gratiæ infuſio, quàm remiſſio culpæ. ſed ex parte hominis prius eſt ordine naturæ liberatio à culpa, quàm conſecutio gratiæ juſtificantis.* Ita S. Thomas. Itaque ſi in infuſione animæ rationalis B. Virginis ponantur tria ſigna rationis. *Primò* creatio, & exiſtentia animæ. *Secundò* debitum proximum ad privationem gratiæ. *Tertiò* collatio gratiæ; verum erit dicere, quòd anima B. Virginis fuerit illuminata, ſanctificata, purgata, ſeu mundata à peccato contrahendo, licèt in nullo reali, ſeu momento temporis unquam fuerit

in-

infecta peccato, tenebricosa, maculosa, seu destituta luce gratiæ. Quòd autem juxta Patres, & Theologos veteres fomes peccati sæpissimè vocetur peccatum originale, in quantum est constitutivum materiale peccati originalis, possem probare variis eorum textibus. Sic Albertus M. Præceptor D. Thomæ in 2. sent. dist. 30. a. 3. ait: *Dicamus, quædam esse in peccato originali ùt materialia, & quædam ùt formalia; materiale in peccato originali est fœditas concupiscentiæ, & fomes.* Et hinc S. Augustinus in l. de Bapt. & Magister sent. dicunt: *Originale peccatum est concupiscentia*, puta materialiter, sicut si dicerem, cœcitas, aut surditas est indispositio oculorum, & aurium, quamvis formaliter in hoc non consistat, eò quòd Deus etiam stante illa indispositione materiæ possit in homine conservare potentiam videndi, & audiendi. Cæterum quòd B. Virgo contraxerit debitum proximum peccati originalis, adeo non evertit Immaculatam Conceptionem, ut *Suarez*, *Vasquez*, & *Bellarminus*, qui fuerunt eximii cultores B. Virginis, id putent esse certum.

Suarez in 3. q. 37. sect. 2. ait: *Absolutè & simpliciter fatendum est, B. Virginem*

ginem in Adam peccâſſe. Dein id explicans ait: *B. Virgo ex vi ſuæ conceptionis fuit obnoxia peccato originali, ſeu debitum habuit contrahendi illud.* Eodem modo loquitur Bellarminus tom. 4. de peccatis. l. 4. c. 16. ubi adverſus hæreticos explicans ſenſum Romanæ Eccleſiæ circa myſterium Conceptionis B. Virginis ſic ſcribit: *Tribûs modis peccatum primi parentis cum filiis ejus communicatur. Primò enim dicuntur Adæ filii in ipſo Adamo peccaviſſe, cùm ille præceptum Domini in Paradiſo transgreſſus eſt: & quoniam tunc non erant ipſi in actu, ſed in potentia; ideo quoque tunc peccatum non actu, ſed potentia contraxerunt. --- Deinde rurſus dicuntur in peccato concipi omnes Adæ filii, cùm primùm fœtus in utero matris exiſtere incipit, quamvis informis, & inanis. Tametſi enim peccatum propriè non poſſit eſſe, niſi in anima rationali, & fœtus conformari incipiat longo tempore ante animationem, tamen quia tunc revera incipit homo exiſtere, ratione unius ſuæ partis (unde dicuntur filii in uteris matrum novem menſibus geſtari 2. Mach. 7.) & pars illa ex corrupta natura originem habet, & vitiata rectè nominari poteſt, atque ei ex vi ſuæ generationis debetur, ut*

cùm

cùm primùm animam rationalem sortita fuerit, inde existat homo peccator, & iræ divinæ filius. Propterea non immeritò dicuntur homines tunc primum in iniquitatibus generari. Explicat hoc multis verbis S. Anselmus in lib. de conceptu Virginali, & peccato originali. cap. 7. & de hac prima conceptione exponit illud Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. -- Tertiò denique dicuntur homines concipi in peccato, cùm animæ corporibus inspirantur; tunc enim primùm incipiunt propriè, & re ipsa esse homines. --- Jam igitur quod attinet ad primum modum, non desunt, qui existiment B. Virginem non peccâsse in Adamo. --- quæ sententia nobis non admodùm tuta esse videtur, & contrariæ omnino subscribimus. --- Quod attinet ad secundum modum, si B. Virgo non fuit libera, ùt diximus, à peccato primi parentis, quatenus in lumbis ejus erat, profectò prima ejus conceptio similis fuit conceptioni aliorum. Nimirum originem habuit ex natura corrupta, eique ex vi generationis debebatur, ut peccatum contraheret, cùm primum ad eam anima rationalis accederet. Quod attinet tertium modum, sinè peccati originalis macula fuisse existimamus animam B. Virginis in ipso etiam primo in-

ſtanti ſuæ creationis, & infuſionis animæ in corpus, ita ut nunquam perſona illa actu exiſtens peccatum habuerit. Atque hoc ſolum eſt, in quo B. Virgo differt à cæteris, qui per gratiam Dei, Chriſtique paſſionis meritum à peccato originali liberati fuerunt, quòd alii communiter liberati ſint poſt nativitatem; aliqui pauci ante nativitatem, ſed poſt animationem, ipſa ſola in ipſo inſtanti animationis. --- Fatemur tamen, rectè dici poſſe, Chriſtum ſolum ab originali peccato immunem fuiſſe; quia ſolus ipſe ex vi generationis peccatum evaſit, & neque in ſe, neque in Adamo peccavit- --- Secundò Reſpondeo, non negamus B. Virginem in Adamo peccâſſe, eo modo, quo peccare poterat, quæ nondum erat, niſi in potentia, ac per hoc obnoxiam fuiſſe, ut quando actu eſſe inciperet, re ipſa in ſe peccatum haberet. Tamen addimus præventam fuiſſe ſingulari gratia, ac privilegio Dei, ut ſimul & eſſe, & juſta eſſe inciperet. Neque illud negamus, eandem Virginem in Adamo eſſe mortuam, hoc eſt, propter Adæ peccatum mortis debitum contraxiſſe. & ſolviſſe. Nam etiamſi in primo ſuæ creationis inſtanti anima ejus per gratiam à peccati macula liberata fuit, redemptionem tamen corporis non continuò habuit. ---

Denique non negamus, B. Virginem naturâ fuisse filiam iræ, sed addimus, gratiâ semper fuisse filiam misericordiæ; ex natura enim corrupta parentum suorum quid hæreditare potuisset, nisi corruptionem? placuit tamen Deo, sic eam in benedictionibus dulcedinis prævenire, ut nunquam esset peccatrix, quod postulabat natura, sed semper esset justa, quod gratia conferebat. Tertiò Respondeo, concedimus, B. Virginem aliquo modo mortuam esse morte peccati (de hac enim morte sinè dubitatione Apostolus loquitur) ut etiam verum sit, pro ipsa vivificanda, ùt pro cæteris hominibus mortuum esse Christum. Cæterùm mortua dicitur Virgo beata, quòd obnoxia fuerit morti, & necessariò moritura ex vi suæ generationis, nisi eam gratia prævenisset. - - - Dicet aliquis, si B. Virgo semper fuit justa, quippe quæ in ipso primo instanti creationis gratiam justificationis accepit, nullo igitur tempore peccato inveniretur obnoxia, neque enim obnoxia peccato fuit, antequam esset in rerum natura; neque posteaquam in rerum natura esse cæpit, cùm simul esse, & justa esse cæperit.

Respondeo, B. Virginem tribûs temporibûs peccato fuisse obnoxiam. Primò, quamdiu in lumbis Adæ, & cæterorum pa-

ventum ſuorum fuit; toto enim illo tempore ſicut fuit in potentia Adæ filia, ſic fuit in potentia peccato obnoxia. Deinde rurſus, quando concepta eſt in utero matris ante animationem; tametſi enim tunc non fuerit integrè in rerum natura, fuit tamen ex parte, & ratione illius partis dicebatur ipſa verè exiſtere; ſic enim (ùt ſupra notavimus) dicuntur proles in utero matris novem menſibus deliteſcere. Toto autem illo tempore, quod inter primam conceptionem, & infuſionem animæ rationalis interceſſit, fuit illa non in potentia, ſed in actu; quamvis ratione unius partis peccato originali obnoxia, quo ſinè dubio polluta fuiſſet, niſi per gratiam præſervata fuiſſet. Denique obnoxia peccato fuit ipſa integrè exiſtens in primo inſtanti conjunctionis animæ rationalis cum corpore; tametſi enim in eodem inſtanti temporis juſtificata fuerit, tamen quia ordine naturæ prius eſt ſubjectum, quàm accidentia, ideo prius fuit ordine naturæ perſona illa extra ſuas cauſas, quàm aut peccatum, aut juſtitia in illa inbæreret. Itaque in illo priori inſtanti naturæ fuit obnoxia peccato; quia ſinè dubio continuò peccatum contraxiſſet, niſi in illo ipſo temporis puncto juſtitiæ luce ornata fuiſſet, quo peccati labe infici debuiſſet. Ita Bellarminus, cujus autho-

authoritas, dum hoc loco exponit fidem Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos, plus ponderat, quàm authoritas mille Virgiliorum conantium D. Thomam eripere Matri Virgini. Valde autem imperitum est, quod scribit P. Virgilius, D. Thomam, ea, quæ in tertia parte Summæ scripserat, in suo Commentario, quem scripserat in Epistolam ad Romanos, correxisse; cùm ex Quidone coævo constet, D. Thomam pluribus annis suos Comentarios in Epistolas Pauli ante suam mortem, adeóque etiam ante tertiam partem Summæ absolvisse.

Ex his ergo sequitur, quòd P. Virgilius maturiùs discere debuisset idioma Patrum, & Theologorum veterum, nec temerè Doctorem Angelicum numerare inter hostes Immaculatæ Conceptionis. Verùm de hac re fusè agam, & mysterium Immaculatæ Conceptionis meliùs, & saniùs probabo, quàm P. Virgilius, in meo Tractatu *de Peccatis*, & *Gratia*, intra annum circiter cum aliis Theologiæ Tractatibus publicando.

Hallucinatio 133. *Author Ideæ im-* 133
pugnat efficaciam intercessionis B. Virginis, dum scribens contra Revelationes Agredanas Propos. 6. ait: hanc propositionem: Quidquid B. Virgo petit, impetrat, & ejus

pre-

preces ſemper exaudiuntur, continere promiſſionem periculoſam, niſi cautè explicetur, & clauſulis muniatur, per quod contendit, non eſſe veram abſolutè abſque clauſula exponente; quia, in quantum vera eſt, nequit periculoſa eſſe. fol. 116. N. 136. & fol. 126.

Dico: Hæc propoſitio eſt abſolutè vera; quia Patres, & communis ſenſus fidelium probant, quòd B. Virgo ſemper conſequatur, quidquid abſolutè petit. & fol. 132. *Limitatio locum habere non poteſt in precibus B. Virginis abſolutis.* N. 143. 144. & 154.

Animadverſio. P. Virgilius dupliciter errat. Primò quidem imperitè; quia exiſtimat, nullam propoſitionem poſſe eſſe *periculoſam*, ſi in aliquo ſenſu ſit vera, aut etiam abſolutè vera. Secundò etiam *calumniosè*; quia dum ego voco periculoſam eam propoſitionem indefinitam: *Quidquid B. Virgo petit, impetrat, & ejus preces ſemper exaudiuntur*; P. Virgilius in ſuis probationibus, ut ſimplices Lectores decipiat, immutat ſtatum quæſtionis, & concluſionis probandæ, dicens: Quidquid B. Virgo *abſolutè*, ſeu *abſolutis precibus* petit, impetrat. Hanc enim propoſitionem neque vocavi unquam periculoſam, neque vocavi

cavi in quæſtionem. Quantum autem diſcrimen inter hanc propoſitionem, & priorem ſit, videbimus proximè.

Inprimis, quòd *imperitum* ſit, exiſtimare, nullam propoſitionem poſſe eſſe periculoſam, niſi cautè explicetur, patet ex variis cenſuris propoſitionum damnatarum, quarum aliquæ dicuntur *erroneæ*, aliæ *ſcandaloſæ*, *piarum aurium offenſivæ*. Scandaloſum haud dubiè etiam *periculoſum* eſt. La Croix l. 1. n. 188. explicans hos terminos ait: *Certum videtur, poſſe propoſitionem aliquam eſſe ſcandaloſam, & veram, uti ſi occultam luxuriam Monachi revelares, vel apud innocentes vera loqueveris de peccatis luxuriæ. Piarum aurium offenſivum eſt, quando in materia Religionis dicitur aliquid, etſi non falſum, attamen indecens; v. g. Hodie eſt feſtum meretricis, intelligendo S. Magdalenam.* Et *n.* 204. *Lugo, Moya, cum Cano abſolutè docent, propoſitionem aliquam poſſe damnari ùt ſcandaloſam, aut offenſivam piarum aurium, neque tamen inde inferri poſſe, eſſe falſam.* Ita La Croix. Etquidem veriſſimè, dantur enim innumeræ propoſitiones verſatiles in duos ſenſus, quorum unus eſt verus, alter falſus, aut propoſitiones ob indiſpoſitionem audientium proclives in abuſum vel expoſitionem erroneam, v. g. de prædeſtinatio-

natione gratuita antecedente prævisionem meritorum, de motione physica, de gratia &c. quæ omnia, si è cathedra proponantur populo, periculosa sunt, nisi cautè exponantur, & clausulis aliunde certis muniantur. Itaque manifestum est, quòd P. Virgilius *imperitè* agat, & in ventum laboret, dum totus desudat in eruendo aliquo vero sensu illius propositionis, quam ego vocavi periculosam, nisi cautè explicetur. Huic imperitiæ addi meretur alia; quia fol. 127. n. 143. & fol. 133. citat textum *D. Gregorii M.* tanquam decisivum ex ejusdem *Dialogis c. 3.*, qui tamen textus facilius reperietur in concavo Lunæ, quàm in Dialogis S. Gregorii Magni.

Secundò. Quòd P. Virgilius *calumniosè* agat, dum in suis probationibus immutat statum quæstionis, asserendo, illud infallibiliter impetrari à B. Virgine, quod *absolutè*, seu *absolutis precibus* petit, dum ego solùm periculosam vocavi propositionem indefinitam: *Quidquid B. Virgo petit, impetrat*, ostenditur ex propositionibus variis damnatis. Sic damnatur propositio Quesnelli 12. *Quando Deus vult salvare animam, effectus indubitabilis sequitur.* Si quis ergo exemplo P. Virgilii mutaret statum quæstionis, ac diceret: Pessimè egit Summus Pontifex damnando

nando hanc propoſitionem; quia certiſſimum eſt, quòd ſequatur indubitabilis effectus, quando Deus abſolutè, ſeu voluntate abſoluta, & efficaci vult ſalvare animam, quis negare poſſit, ejusmodi mutationem terminorum fore malitioſam, fraudulentam, calumnioſam, & cenſuris dignam graviſſimis? Conſimiliter damnata eſt hæc propoſitio Janſenii: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Si quis autem imitaretur verſutiam P. Virgilii, ac diceret: Iniquè damnavit Pontifex hanc propoſitionem; Chriſtus enim non fudit ſuum ſanguinem pro omnibus voluntate *abſoluta*, & *efficaci*, quis non indignaretur ejusmodi mutationi terminorum, ac ſubſtitutioni propoſitionum petulantiſſimæ? Hoc autem P. Virgilius in ultimis foliis ſui Libelli præſtitit, dum unicè in hoc totus incumbit, ut probet, à B. Virgine infallibiliter impetrari, quod *abſolutè*, ſeu *abſolutis precibus* petit, quod ego nec impugnavi unquam, nec etiamnum. Pro demonſtratione totum meum textum annecto: *Revelationes Agredanæ continent promiſſiones periculoſas, niſi cautè explicentur, & clauſulis muniantur. Ejusmodi propoſitiones ſunt.* 2. *Quidquid B. Virgo petit, impetrat.* 4. *Quicun-*

cunque B. Virginem ex corde invocaverit, habebit vitam æternam. 5. Ejus preces ſemper exaudiuntur. 6. Qui B. Virginem ſincero corde invocant, habebunt in morte gratiam perſeverantiæ, aut converſionis. 9. Si homines B. Virginem invocarent in competente tempore, & ſincerè, nullus periret. Quod attinet has promiſſiones, cenſeo, nullum petere rectè à B. Virgine gratiam ſpiritualem, quam interceſſione ejus non impetret, ſed ſicut in precibus, quas Chriſtus (in Evangelio) promiſit infallibiliter à ſe exaudiendas (juxta illud Joan. 16. Amen Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis &c.) requiruntur ex parte orantis conditiones, inter quas eſt congruitas gratiæ conferendæ cum diſpoſitione orantis, ita in bis precibus ad B. Virginem poſſunt aptè ſubintelligi ejusmodi conditiones tacitè imbibitæ; & quia videtur congruum, ut conſtanter pius cliens Mariæ protegatur, liberetur à peccatis gravibus ignorantiæ, & perſeveret in articulo mortis, ita credo, quòd nullus usque ad mortis articulum fidus cliens Mariæ in eo articulo vincatur, ſícque æternum pereat. Similiter credo, quòd peccatores ad eam confugientes pro congruitate fiduciæ, & operum ſemper obtineant

tineant extraordinarias ad converſionem excitantes, & adjuvantes gratias, quibus convertantur, ſi non poſitivè reſiſtant gratiis. Huc usq; textus meorum verborum. Ego, ùt patet, clauſulas poſui relatè ad varias propoſitiones, quarum plures loquuntur de precibus fidelium ad B. Virginem, at P. Virgilius calumniosè excerpens tantùm primam propoſitionem, in qua ſermo eſt de precibus B. Virginis ad Deum, N. 151. aſſerit, has clauſulas *prorſus non eſſe ad rem.* Ego poſui limitationem infallibilitati precum ad *gratias ſpirituales* cujusque diſpoſitioni congruas; at P. Virgilius carpit hanc limitationem; quia aliquando obtinentur etiam gratiæ temporales; & econtra non obtinentur ſpirituales. fol. 132. N. 153. Neſcit iſte Vicarius, juxta omnes interpretes gratias temporales non conferri infallibiliter precibus orantium; dúmque conferuntur, eas conferri non infallibiliter, ſed præcisè fallibiliter; & dum mille ejusmodi gratiæ conferuntur, milliones ſimilium gratiarum, utut pari fervore & fiducia poſtulatarum, non conferuntur. Econtra gratiæ ſpirituales, cujusque diſpoſitioni, fervori, fiduciæ, conſtantiæ, & conatui proportionatæ juxta promiſſionem Chriſti ſemper & infallibiliter conferuntur. Valde autem impe-

ritum eſt, quod dicit, à multis peti liberationem à peccatis quotidianis, & tamen non obtineri, quaſi verò à Deo petatur cooperatio ad gratiam, & non potiùs ipſa collatio gratiæ actualis. Quis autem eſt fidelis ſervus Dei, qui à Deo non obtineat plus, quàm ſufficientes, ac copioſas gratias actuales ad vitanda peccata, & operandas virtutes ſuæ vocationi congruas? Scripſi ulterius, ad hoc, ut preces B. Virginis *infallibiliter* exaudiantur, requiri congruitatem gratiæ cum diſpoſitione orantis; quia apud Deum non ſolùm in ordine naturæ, ſed etiam in ordine gratiæ curſu ordinario omnia fiunt juxta proportionem in numero, pondere & menſura, hoc eſt, juxta diſpoſitionem, & exigentiam cauſarum ultimam ac proximam. Verùm juxta P. Virgilium fol. 132. N. 154. ſaltito extra orbitam; quia Diſmas latro prius blasphemus, & Saulus perſecutor obtinuerunt repente gratiam. Mihi videtur, P. Virgilium nunquam fuiſſe in orbita, & circo ſcholaſtico, dum aliud, quàm impugnandum ſuſcepit, in argumento impugnat. Infallibilitas precum in quæſtionem venerat. Ille, quod aliquando in caſu extraordinario accidit ex ſpeciali gratia, in medium per modum regulæ ad

meam

meam oppoſitæ adducit. Scripſi tertiò, quòd credam, nullum Mariæ clientem uſque ad articulum mortis conſtanter pium in articulo mortis vincendum à dœmone. At P. Virgilius N. 155. fol. 133. jam parum ſollicitus de eximia dote clientum Virginis, omnium præcipua, ne mihi relinquat aſſertæ hujus prærogativæ Marianæ gloriam, hoc ſidûm clientum Marianorum ſolamen impugnat. *Hoc*, inquit, *principiis Theologicis, experientiis, & probatis hiſtoriis repugnat.* Cur ita? *quia perſeverantiæ donum*, inquit, *non habetur ex meritis*; & quia in hiſtoria habetur, quòd fidus cliens Mariæ, qui nunquam antea peccaverat mortaliter, poſtquam ſemel in delectationem veneream conſenſerat, ex ruptura venæ in ſomnio mortuus æternum periit. Conceſſerim & ego, donum perſeverantiæ in bono non haberi ex meritis; id tamen à veris clientibus Mariæ *conſtanter* piis, ac *fidis*, non obtentu meritorum, ſed ob *potentes preces* Reginæ cælorum obtineri confido. Abſit autem, ut ſodalem, qui in delectationem veneream conſenſerat, inter veros Mariæ clientes *conſtanter pios*, ac *fidos* annumerem. Hos ego inter peccatores repono, quibus ſufficit, ſi interceſſione B. Virginis bonas inſpirationes & ſtimulos ad converſionem,

quamvis illæ inſpirationes ſint ob cooperationis ambiguum incerti exitûs, acquirant. Scripſi denique quartò, Peccatoribus, ſi ad B. Virginem confugiant, pro congruitate fiduciæ, & operum impetrari à B. Virgine excitantes extraordinarias gratias, quibus convertantur, niſi reſiſtant gratiis; ſed nec iſta quidem inſignis prærogativa Virginis à P. Virgilio in poſſeſſione quieta relinquitur. *Non eſt ad rem*, inquit; *quia non loquitur de precibus B. Virginis ad Deum. Deim hæ non dependent à congruitate operum, cùm B. Virgo ſæpe etiam non invocata ſuccurrat. Tandem hæc limitatio ad preces fidelium non quadrat; quia extraordinariæ gratiæ non faciunt regulam. Et ſi obtinentur gratiæ extraordinariæ, cur non tales, quibus nunquam reſiſtitur?*

Reſpondeo. Limitatio mea erat ad rem, quia inter varias propoſitiones, quas periculoſas notaveram, erant complures, in quibus non de precibus B. Virginis ad Deum, ſed de precibus fidelium ad B. Virginem ſermo erat. Preces piæ Matris non dependent quidem à congruentia noſtrorum operum, ſed Virgo prudentiſſima, quæ ſedes eſt ſapientiæ, agnoſcit, ordinariis divinæ providentiæ legibus non congruere, ut profundantur gra-

gratiæ non poſtulanti. Si qui verò peccatorum pro cõverſionis gratia conſtanter rogant, ordinariè ab iis impetrantur extraordinariæ gratiæ non ſic dictæ per relationem ad cauſam, cui collatio talium extraordinariarum gratiarum ordinaria, ac quotidiana eſt, ſed per relationem ad recipientem, cui ejusmodi gratiæ raræ ſunt. Cur autem veris clientibus Mariæ conſtanter piis, ac fidis ſperem tales gratias, quibus nunquam reſiſtitur, in mea ſententia efficaces extrinſecè; econtra peccatoribus ejusmodi efficaces gratias non ſperem, ratio eſt; quia ita æquitati, & juſtitiæ divinæ conforme eſt, ne potentiâ abſolutâ Numinis dœmoni ſua eripiantur quotidie mancipia, neque etiam ut abſoluta violentia dœmonum in articulo mortis è ſinu piiſſimæ Matris abſtrahantur dilecti filii conſtanter pii, & fidi.

Sed jam tandem Hallucinationum Virgilianarum finis eſt; utinam tandem aliquando etiam calumniarũ impudentium! Quod ſi tamen quies non placet *cerebris turbidis*, mea pace, calumnientur, & turbent ad ſuam confuſionem, quousq; voluerint. Præter inſignem Virum, P. Leonardum Leſſium, quem & ipſum P. Virgilius in ſuis quondam impreſſis Theſibus Theologicis cum Bajo aſſociavit inter hæreticos, ha-

bebo ſocium, & ſolamen Deum, de quo D. Chryſologus: *Nec tu, ô ſanctiſſima Trinitas, ſtultorum linguas penitus effugiſti.*

Damnatio Propoſitionum FENELONII De amore deſintereſſato.

BULLA INNOCENTII PAPÆ XII.

Damnantis & prohibentis Librum, cui Titulus: ***Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure &c.***

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Cùm aliàs ad Apoſtolatûs Noſtri no-
„ titiam pervenerit in lucem pro-
„ diiſſe librum quemdam Gallico
„ idiomate editum, cui Titulus: *Expli-*
„ *cation des Maximes des Saints ſur la*
„ *vie interieure, par Meſſire François de*
„ *Salignac Fenelon, Archevêque Duc de*
„ *Cambray, precepteur de Meſſeigneurs*
„ *les Ducs de Bourgogne, d'Anjou,*
„ *& de Berry. A Paris chez Pierre Au-*
„ *boüin, Pierre Emery, & Charles*
„ *Clouſier.*

„ *Clouſier.* 1697. Ingens verò ſubinde
„ de non ſana libri hujusmodi doctrina
„ excitatus in Galliis rumor adeò per-
„ crebuerit, ut opportunam Paſtoralis
„ vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit,
„ Nos eundem librum nonnullis ex ve-
„ nerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E.
„ Cardinalibus, aliísque in ſacra Theo-
„ logia Magiſtris, maturè, ùt rei gra-
„ vitas poſtulare videbatur, examinan-
„ dum commiſimus. Porro hi manda-
„ tis Noſtris obſequentes, poſtquam in
„ quamplurimis Congregationibus varias
„ propoſitiones ex eodem libro excerptas
„ diuturno, accuratóque examine diſ-
„ cuſſerunt, quid ſuper earum ſingulis
„ ſibi videretur, tam voce, quam ſcri-
„ pto Nobis expoſuerunt. Auditîs igi-
„ tur in pluribus itidem coram Nobis de-
„ ſuper actis Congregationibus memora-
„ torum Cardinalium, & in ſacra Theo-
„ logia Magiſtrorum ſententiîs, Domini-
„ ci Gregis Nobis ab æterno Paſtore cre-
„ diti periculis, quantum Nobis ex alto
„ conceditur, occurrere cupientes, mo-
„ tu proprio, ac ex certa ſcientia, &
„ matura deliberatione Noſtris, déque
„ Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, li-
„ brum prædictum ubicunque, & quo-
„ cunque alio idiomate, ſeu quavis edi-
„ tione, aut verſione hucusque impreſ-

„ ſum, aut in poſterum imprimendum,
„ quippe ex cujus lectione & uſu fideles
„ ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica
„ jam damnatos induci poſſent, ac inſu-
„ per tanquam continentem propoſitio-
„ nes ſive in obvio eorum verborum ſen-
„ ſu, ſive attenta ſententiarum conne-
„ xione, temerarias, ſcandaloſas, malè
„ ſonantes, piarum aurium offenſivas,
„ in praxi pernicioſas, ac etiam erro-
„ neas reſpectivè, tenore præſentium
„ damnamus, & reprobamus, ipſiúsque
„ libri impreſſionem, deſcriptionem, le-
„ ctionem, retentionem, & uſum omni-
„ bus & ſingulis Chriſti fidelibus etiam
„ ſpecifica, & individua mentione, &
„ expreſſione dignis, ſub pœna excom-
„ municationis per contrafacientes ipſo
„ facto abſque alia declaratione incur-
„ renda, interdicimus, & prohibemus:
„ volentes, & Apoſtolica auctoritate
„ mandantes, ut quicunque ſupradictum
„ librum penes ſe habuerint, illum ſtatim,
„ atque præſentes litteræ eis innotue-
„ rint, locorum Ordinariis, vel hære-
„ ticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere,
„ ac conſignare omnino teneantur. In
„ contrarium facientibus non obſtantibus
„ quibuscunque. Cæterùm propoſitio-
„ nes in dicto libro contentæ, quas Apo-
„ ſtolici cenſurâ judicii, ſicut præmitti-

„ tur,

„ tur, configendas duximus, ex Galli-
„ co idiomate in latinum verſæ, ſunt te-
„ noris, qui ſequitur, videlicet:

„ I. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei,*
„ *qui eſt charitas pura, & ſine ulla mix-*
„ *tione motivi proprii intereſſe. Neque*
„ *timor pœnarum, neque deſiderium re-*
„ *munerationum habent amplius in eo par-*
„ *tem. Non amatur amplius Deus pro-*
„ *pter meritum, neque propter perfectio-*
„ *nem, neque propter felicitatem in eo*
„ *amando inveniendam.*

„ II. *In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu*
„ *unitivæ amittitur omne motivum in-*
„ *tereſſatum timoris & ſpei.*

„ III. *Id quod eſt eſſentiale in directio-*
„ *ne animæ eſt non aliud facere, quàm ſe-*
„ *qui pededentim gratiam cum infinita pa-*
„ *tientia, præcautione & ſubtilitate.*
„ *Oportet ſe intra hos limites continere, ut*
„ *ſinatur Deus agere, & nunquam ad*
„ *purum amorem ducere, niſi quando Deus*
„ *per unctionem interiorem incipit aperi-*
„ *re cor huic verbo, quod adeò durum eſt*
„ *animabus adhuc ſibimet affixis, & adeò*
„ *poteſt illas ſcandalizare, aut in pertur-*
„ *bationem conjicere.*

„ IV. *In ſtatu ſanctæ indifferentiæ*
„ *anima non habet amplius deſideria vo-*
„ *luntaria, & deliberata propter ſuum in-*
„ *tereſſe, exceptis iis occaſionibus, in*

„ *quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non*
„ *cooperatur.*

„ V. *In eodem ſtatu ſanctæ indifferen-*
„ *tiæ nihil nobis, omnia Deo volumus.*
„ *Nihil volumus, ut ſimus perfecti, &*
„ *beati propter intereſſe proprium, ſed*
„ *omnem perfectionem ac beatitudinem vo-*
„ *lumus, in quantum Deo placet efficere,*
„ *ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gra-*
„ *tiæ.*

„ VI. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſta-*
„ *tu nolumus amplius ſalutem, ùt ſalutem*
„ *propriam, ùt liberationem æternam,*
„ *ùt mercedem noſtrorum meritorum, ùt*
„ *noſtrum intereſſe omnium maximum;*
„ *ſed eam volumus voluntate plena, ùt glo-*
„ *riam, & beneplacitum Dei, ùt rem,*
„ *quam ipſe vult, quam nos vult velle pro-*
„ *pter ipſum.*

„ VII. *Derelictio non eſt niſi abnega-*
„ *tio, ſeu ſuî ipſius renuntiatio, quam*
„ *Jeſus Chriſtus à nobis in Evangelio re-*
„ *quirit, poſtquam externa omnia reliquе-*
„ *rimus. Iſta noſtrî ipſorum abnegatio*
„ *non eſt, niſi quoad intereſſe proprium.*
„ *Extremæ probationes, in quibus hæc ab-*
„ *negatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerce-*
„ *ri debet, ſunt tentationes, quibus Deus*
„ *æmulator vult purgare amorem, nullum*
„ *ei oſtendendô perfugium, neque ullam*

„ *ſpem*

„ *ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, eti-*
„ *am æternum.*

„ VIII. *Omnia ſacrificia, quæ fieri*
„ *ſolent ab animabus quam maximè deſin-*
„ *tereſſatis, circa earum æternam beati-*
„ *tudinem ſunt conditionalia. Sed hoc ſa-*
„ *crificium non poteſt eſſe abſolutum in ſta-*
„ *tu ordinario. In uno extremarum pro-*
„ *bationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo*
„ *modo abſolutum.*

„ IX. *In extremis probationibus po-*
„ *teſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe*
„ *perſuaſione reflexa, quæ non eſt intimus*
„ *conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam*
„ *eſſe à Deo.*

„ X. *Tunc anima diviſa à ſemetipſa*
„ *exſpirat cum Chriſto in cruce dicens:*
„ *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti*
„ *me? In hac involuntaria impreſſione de-*
„ *ſperationis conficit ſacrificium abſolutum*
„ *ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.*

„ XI. *In hoc ſtatu anima amittit om-*
„ *nem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed*
„ *nunquam amittit in parte ſuperiori, id*
„ *eſt in ſuis actibus directis, & intimis*
„ *ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium deſin-*
„ *tereſſatum promiſſionum.*

„ XII. *Director tunc poteſt huic animæ*
„ *permittere, ut ſimpliciter acquieſcat ja-*
„ *cturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ con-*
„ *demnationi, quam ſibi à Deo indictam*
„ *credit.*

XIII.

„ XIII. *Inferior Christi pars in cruce*
„ *non communicavit superiori suas invo-*
„ *luntarias perturbationes.*

„ XIV. *In extremis probationibus pro*
„ *purificatione amoris fit quædam separa-*
„ *tio partis superioris animæ ab inferiori.*
„ *In ista separatione actus partis inferioris*
„ *manant ex omnino cæca, & involunta-*
„ *ria perturbatione; nam totum, quod*
„ *est voluntarium & intellectuale, est*
„ *partis superioris.*

„ XV. *Meditatio constat discursivis*
„ *actibus, qui à se invicem facilè distin-*
„ *guuntur. Ista compositio actuum di-*
„ *scursivorum, & reflexorum est propria*
„ *exercitio amoris interessati.*

„ XVI. *Datur status contemplationis*
„ *adeò sublimis, adeóque perfectæ, ut fiat*
„ *habitualis, ita ut quoties anima actu*
„ *orat, sua oratio sit contemplativa, non*
„ *discursiva. Tunc non amplius indiget*
„ *redire ad meditationem, ejúsque actus*
„ *methodicos.*

„ XVII. *Animæ contemplativæ pri-*
„ *vantur intuitu distincto, sensibili & re-*
„ *flexo Jesu Christi duobus temporibus*
„ *diversis. Primò; in fervore nascente*
„ *earum contemplationis. Secundò, ani-*
„ *ma amittit intuitum Jesu Christi in ex-*
„ *tremis probationibus.*

„ XVIII. *In ſtatu paſſivo exercentur*
„ *omnes virtutes diſtinctæ, non cogitan-*
„ *dô, quòd ſint virtutes. In quolibet*
„ *momento aliud non cogitatur, quàm*
„ *facere id, quod Deus vult, & amor*
„ *zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius*
„ *ſibi virtutem velit, nec unquam ſit*
„ *adeo virtute præditus, quàm cum vir-*
„ *tuti amplius affixus non eſt.*

XIX. *Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd*
„ *anima paſſiva, & deſintereſſata nec*
„ *ipſum amorem vult amplius, quatenus*
„ *eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed*
„ *ſolum quatenus eſt id, quod Deus à no-*
„ *bis vult.*

„ XX. *In confitendo debent animæ trans-*
„ *formatæ ſua peccata deteſtari, & con-*
„ *demnare ſe, & deſiderare remiſſionem*
„ *ſuorum peccatorum, non ut propriam*
„ *purificationem & liberationem, ſed ut*
„ *rem, quam Deus vult, & vult nos*
„ *velle propter ſuam gloriam.*

XXI. *Sancti Myſtici excluſerunt à ſta-*
„ *tu animarum transformatarum exerci-*
„ *tationes virtutum.*

XXII. *Quamvis hæc doctrina (de pu-*
„ *ro amore) eſſet pura, & ſimplex*
„ *perfectio Evangelica in univerſa tradi-*
„ *tione deſignata, antiqui Paſtores non*

„ *pro-*

„ *proponebant paſſim multitudini juſtorum,*
„ *niſi exercitia amoris intereſſati eorum*
„ *gratiæ proportionata.*

„ XXIII. *Purus amor ipſe ſolus conſti-*
„ *tuit totam vitam interiorem, & tunc*
„ *evadit unicum principium, & unicum*
„ *motivum omnium actuum, qui deliberati*
„ *& meritorii ſunt.*

„ Non intendimus tamen per ex-
„ preſſam propoſitionum hujusmodi re-
„ probationem alia in eodem libro con-
„ tenta ullatenus approbare. Ut au-
„ tem eædem præſentes litteræ omnibus
„ faciliùs innoteſcant, nec quisquam
„ illarum ignorantiam valeat allegare,
„ volumus pariter, & authoritate præ-
„ fata decernimus, ut illæ ad valvas
„ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac
„ Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non cu-
„ riæ generalis in Monte Citorio, & in
„ acie Campi Floræ de Urbe per ali-
„ quem ex Curſoribus Noſtris, ùt mo-
„ ris eſt, publicentur, illarúmque ex-
„ empla ibidem affixa relinquantur;
„ ita ut ſic publicatæ omnes & ſingulos,
„ quos concernunt, perinde afficiant,
„ ac ſi unicuique illorum perſonaliter
„ notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Ut-
„ que ipſarum præſentium litterarum

tranſ-

„ tranſumptis , ſeu exemplis , etiam
„ impreſſis , manu alicujus Notarii pub-
„ lici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in
„ Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ mu-
„ nitis , eadem prorſus fides tam in judi-
„ cio , quàm extra illud , ubique lo-
„ corum habeatur , quæ ipſis præſenti-
„ bus haberetur , ſi forent exhibitæ ,
„ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſan-
„ ctam Mariam Majorem ſub annulo Pi-
„ ſcatoris die 12. Martij 1699. Pontifica-
„ tus Noſtri anno octavo.

J. F. Card. Albanus.

IN-

INDEX ET SYNOPSIS

Hallucinationum & Animadversionum.

1.

HÆ duæ propositiones: *Actus benevolentiæ erga Deum sunt boni.* Et: *Actus perfectæ charitatis non consistunt præcisè in actibus benevolentiæ erga Deum*, non sunt contradictoriæ.

2. Ipsemet SS. D. N. Benedictus XIV. docet: Deum *ùt bonum in se* esse quidem *objectum primarium* charitatis, eundem tamen *ùt beatificum* esse *objectum secundarium*, ac essentiale *implicitum*, charitatis.

3. SS. D. N. Benedictus XIV. non attestatur; in propositionibus Fenelonii non damnari *saltem indirectè* eam doctrinam, quòd actus perfectæ charitatis consistat formaliter in actu puræ benevolentiæ.

4. Reverà in propositionibus Fenelonii damnata est ea doctrina *saltem indirectè*,

ctè, quòd actus perfectæ charitatis consistat in actu puræ benevolentiæ.

5. Illa doctrina, quòd actus perfectæ charitatis consistat in solo actu puræ benevolentiæ, in propositionibus Fenelonii *indirectè* damnata est tanquam *perniciosa in praxi.*

6. Appetitus ad *beatitudinem in genere* est quidem innatus ac necessarius, sed appetitus ad *beatitudinem in specie* est elicitus ac liber.

7. Status quæstionis non est, utrùm in actu perfectæ charitatis per *concomitantiam* realiter possit admitti desiderium beatitudinis; sicut in actu scientiæ juxta multorum sententiam realiter per concomitantiam potest conjungi actus opinionis & actus fidei? sed status quæstionis consistit in eo, utrùm in actu perfectæ charitatis formaliter possit ac debeat includi desiderium propriæ beatitudinis. Itaque dum P. Virgilius format statum quæstionis in priori sensu, enormiter fallit suos Lectores.

8. Non est dogma erroneum, sed dogma D. Thomæ, & Alberti Magni, contritionem perfectam justificativam extra Sacramentum differre ab attritio-

ne, quòd in contritione perfecta nullo amplius modo respiciatur ad pœnas tanquam motivum; econtra in attritione adhuc respiciatur ad pœnas, tanquam objectum saltem secundarium.

9. Iste actus: Etiamsi æternùm privarer beatitudine, atque æternùm vivere deberem inter extremas ærumnas, & Tyrannorum tormenta, & inter ipsas pœnas inferni, tamen hoc libenter eligerem, si ita placeret Deo, non solùm populo Christiano est difficillimus, sed etiam absurdus. Et tamen in sententia opposita non tantùm foret consilii, sed etiam præcepti.

10. In sententia opposita sequitur hoc grande absurdum, quòd morientes simul per actum spei teneantur elicere desiderium beatitudinis, & simul per actum charitatis teneantur abdicare desiderium beatitudinis. In nostra autem sententia, ubi desiderium beatitudinis includitur in ipsa formalitate, seu formali conceptu perfectæ charitatis, hoc absurdum non sequitur, quia illud, quod per charitatem desideratur, simul per spem,

quæ

quæ definitur esse *secura exspectatio beatitudinis*, tranquillè exspectatur.

11. 12. Nec SS. D. N. Benedictus XIV. nec S. Congregatio Rituum negat, in propositionibus Fenelonii *indirectè* damnatam esse doctrinam, quòd actus perfectæ charitatis consistat in solo amore benevolentiæ.

13. 14. Cornelius à Lapide & alii Expositores non docent, quòd Moyses & D. Paulus amore suæ gentis abdicaverint desiderium omnis beatitudinis etiam naturalis; sed tantùm quòd ob majorem Dei gloriam libenter caruissent beatitudine supernaturali, naturæ humanæ indebita, quæ consistit in visione intuitiva Dei per essentiam, vel in consortio Beatorum cum Christo. Melioris autem notæ Expositores illos textus Scripturæ solùm explicant de sacrificio sui ad omnes miserias in hoc mundo.

15. Affectus S. Ignatii manifestè involvit desideriuin beatitudinis.

16. Affectus D. Xaverii non bene est traductus in latinum. In idiomate Lusitanico tantùm exprimitur, quòd Deum amaret, etiamsi nec cœlum

nec infernus esset ; quod etiam in nostra sententia verissimum est , quia Deum desideramus propter se , non ob aliud bonum terrestre vel cœleste ab eo consequendum. Ipse enim solus est noster finis ultimus ; ipse solus est nostrum summum bonum , ipse solus nobis sufficit , etsi tolleretur infernus & cœlum.

17. Actus B. Jacoboni erat actus hominis amore divino ebrii , non considerantis , fruitionem beatificam Dei nec naturalem , nec supernaturalem cum pœnis æternis componi posse.

18. Variæ formulæ dilectionis aut contritionis , quantum apparet , perfectissimæ , sunt quidem actus *perfectæ benevolentiæ* , sed non sunt formulæ perfectæ charitatis, quæ est essentialiter amor amicitiæ , fundatæ in reciproca communicatione bonorum.

19. Actus , quo homo ad procurandam Deo majorem gloriam libenter cederet suo jure ad beatitudinem supernaturalem , si esset possibile , est actus bonus , & charitatis , dummodo ad-huc involvat desiderium ad beatitudinem naturalem , seu fruitionem Dei abstractivam.

20. Appetitus innatus ad beatitudinem in genere, ſeu ad genus beatitudinis, neceſſitat voluntatem ad exercitium electionis liberæ circa beatitudinem in ſpecie, idque fit in omni actu humano. Hinc impoſſibile eſt, in ullo actu humano virtualiter non involvi appetitum neceſſarium ad genus beatitudinis, & appetitum liberum ad ſpeciem beatitudinis.

21. 22. Homo in eo ſenſu tenetur *magis* diligere Deum, quàm ſeipſum, inquantum Deus in amore amicitiæ unitivo tanquam *finis qui*, qui appetitur, conſideratur appretiativè tanquam *in ſe* majus bonum, quàm *finis cui*, nempe homo, cui appetitur. Illa ergo majoritas dilectionis eſt *appretiativa*, non *diviſiva*.

23. D. Chryſoſtomus non docet, quòd Paulus optaverit amiſſionem omnis beatitudinis, etiam naturalis, aut in genere ſupernaturali eſſentialis, ſed tantùm, quòd ad majorem Dei gloriam in bonum ſuæ gentis libenter ſe privâſſet beatitudine aliqua accidentali, conſiſtente in conſortio Beatorum cum Chriſto.

24. Non eſt temerarium, eam doctrinam vocare *vulgatam* perſuaſionem, quæ per Reſcriptum ex S. Congregatione Indicis in terminis convertibilibus juſſa eſt deleri ex Opuſculo P. Lienhardii.

25. Amor concupiſcentiæ *purus*, qui includitur in formali conceptu charitatis, non vocatur ea ratione *purus*, quòd excludat actum benevolentiæ erga Deum, ſed potius ea de cauſa vocatur purus, quia habet ſecum conjunctum actum benevolentiæ erga Deum. Econtra amor concupiſcentiæ, qui nullum ſecum habet affectum benevolentiæ amicabilis erga Deum, conſtituit eſſe materiale ſpei, & eſt reſpectivè imperfectus ac non purus, utpote non formatus charitate.

26. Falſum eſt, quòd nulli Theologi doceant, in amore charitatis à Scriptura præcepto involvi amorem concupiſcentiæ.

27. Imperitum eſt, exiſtimare, quòd duæ ſententiæ inter ſe oppoſitæ non poſſint eſſe ambæ communes.

28. Falſum eſt, quòd requirendô in actu charitatis amorem concupiſcentiæ

tiæ funder unicè in confixione propositionum Fenelonii. Præter varia argumenta vetera & solida habeo novum ex Rescripto S. Congregationis Indicis ad P. Lienhardium.

29. Amōr concupiscentiæ habet duos actus elicitos. Circa bonum absens habet desiderium, circa bonumpræsens delectationem & quietem in bono. Christus non habuit priorem actum; habuit tamen posteriorem actum amoris concupiscentiæ, pertinentis ad charitatem.

30. Moyses & D. Paulus non impleverunt præceptum charitatis per actum puræ benevolentiæ.

31. Non certum, sed erroneum est dicere, in articulo mortis præcepto charitatis satisfieri posse per actum puræ benevolentiæ. Charitas enim debet esse amor amicitiæ.

32. Formulæ contritionis, si non contineant efficax propositum exhibendi Deo in opere actus essentiales amicitiæ practicos, ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, non sufficiunt ad justificationem.

33. Etiamsi peccata vitari possint ex motivo benevolentiæ erga Deum, non sequitur, quòd perfecta charitas consistat solùm in actu benevolentiæ, quia recessus à malo non constituit perfectum accessum ad Deum.

34. Formulæ amoris erga Deum, si non contineant efficax propositum, exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiæ practicos, ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, non sunt actus perfectæ charitatis.

35. Ex eo, quòd amor benevolentiæ sit ex suo genere perfectior amore concupiscentiæ, non sequitur, quòd actus perfectæ charitatis consistat in actu puræ benevolentiæ, quia etiam in eodem composito dantur partes diversæ perfectionis.

36. Actui charitatis non tribuit speciem appetitus innatus & necessarius beatitudinis in genere, sed appetitus elicitus ac liber relativus ad speciem beatitudinis.

37. Necessitas amoris concupiscentiæ in actibus charitatis non probatur ex textibus Scripturæ & Scriptorum seor-

seorsim acceptis, sed ex perpetua praxi Scripturæ, viris etiam perfectissimis ad omnes actiones, summè etiam heroicas, tantùm proponendo motivum concupiscentiæ.

38. Potest quidem attentio pœnitentis in contritione absorberi ex solis motivis benevolentiæ, sed nisi accedat affectus amicitiæ, & efficax propositum exhibendi Deo actus essentiales amicitiæ practicos ex sua natura gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos, talis contritio non sufficit ad justificationem, nec in Sacramento, nec extra Sacramentum.

39. Attritio ex solo metu concepta in Sacramento pœnitentiæ non est certò sufficiens ad fructum Sacramenti impetrandum. Neque est certum, contritionem statim justificare, si concipiatur ex motivo charitatis. Neque est certum, in Sacramento pœnitentiæ non requiri charitatem initialem, elicitam ex vero motivo charitatis. Id exactè ostendit SS. D. N. Benedictus XIV. in dissertatione de hac materia, quam integram exhibeo.

40. Contritio perfecta & imperfecta ex-

tra Sacramentum quoad ſuum *eſſe materiale* differunt in hoc, quòd contritio imperfecta ſuo propoſito ſe tantùm extendat ad actus amicitiæ practicos eſſentiales; econtra contritio perfecta ſe extendat ad actus amicitiæ practicos etiam accidentales. Et quia ad hoc propoſitum univerſale valde arduum requiritur intenſio virium animi, in eo ſenſu dico, contritionem & charitatem perfectam differre à contritione ſeu charitate per *intenſionem* & *extenſionem*, non quidem per *intenſionem actus*, prout vulgariter intelligitur, ſed per *intenſionem virium*; neque etiam per *extenſionem temporis* & durationis, prout vulgariter ſumitur, ſed per *extenſionem objectivam actuum* amicitiæ. Si autem contritio & charitas perfecta conſiderentur quoad ſuum *eſſe formale*, ſic jam dicunt infuſionem gratiæ ac juſtificationem. Et eatenus verum eſt, quòd contritio & charitas in *eſſe materiali* perfecta non præſupponat juſtificationem, & eadem in *eſſe formali* perfecta ponat juſtificationem. Eatenus etiam verum eſt, quòd contritio ſeu charitas in *eſſe materiali* imperfecta ope Sacramenti fiat perfecta

in

in *esse formali*, & quòd contritio perfecta sacramentalis, considerata quoad suum *esse materiale*, dicat puritatem à metu servili, per quod distinguitur ab attritione vulgariter accepta, & genericè sumpta.

41. Liber Episcopi Castoriensis, cui Titulus; *Amor pœnitens*, non fuit damnatus ab Urbano VIII, prout imperitè docet P. Virgilius. Neque ille Liber fuit *damnatus*, sed *suspensus*, donec corrigatur, causa etiam suspensionis non fuit, quòd requisiverit in Sacramento amorem charitatis *initialem*, seu *imperfectum*, sed quòd docuerit nonnulla non recta *de usu Clavium*.

42. Ex eo, quòd hæretici, Calvinistæ, Lutherani, Bajanistæ, & Jansenistæ utantur variis textibus Scripturæ & Patrum ad fulciendos suos errores, non debent Scriptores Catholici, v. g. genuini Thomistæ calumniosè traduci, si iisdem textibus utantur ad stabiliendas veritates Catholicas.

43. Bajanus error non consistit in eo, quòd charitas infusa quoad suum *esse materiale*, dicat actum amoris humanum

num, & habituale propoſitum in aliqua ſui virtute permanens, ſed quòd nullam aliam agnoverit formam horum actuum & habituum humanorum, niſi ipſam intrinſecam rectitudinem actuum & habituum. Ab iſto autem errore longiſſimè diſtant, qui admittunt gratiam ſanctificantem, & dona alia ſupernaturalia, quibus actus & habitus amoris, ſpei, fidei, &c. dignificantur & informantur: In horum enim ſententia ipſa rectitudo intrinſeca amoris, ſpei, fidei, licèt actibus tribuat formam in eſſe morali, tamen in conſideratione Theologica tantùm pertinet ad *eſſe materiale* virtutum infuſarum, ſicut formale propoſitionis aut definitionis pertinet ad *eſſe materiale* ſyllogiſmi, aut ſicut eſſe formale cordis, cerebri, oſſium pertinet ad eſſe materiale hominis.

44. Per ſe evidens eſt, quòd Patres ad juſtificationem requirendo actum charitatis etiam in Sacramento, tantùm requirant actum charitatis initialis. Hanc autem conſiſtere ſaltem partialiter in amore concupiſcentiæ, ſeu ùt Authores loquuntur, amore ſpei, patet ex definitione nominis, recepta

utri-

utrinque à partibus, ùt teſtatur Modernus Pontifex. Ergo clarum eſt, quòd Patres requirendo actum charitatis ad juſtificationem loquantur de actu charitatis mixto ex concupiſcentia.

45. Non eſt Bajanum dogma, ſed Catholicum, quòd charitas *initialis*, aut *perfecta*, debeat eſſe *operans*, inquantum involvit propoſitum ſaltem implicitum exercendi actus amoris practicos. Immo docere contrarium eſt erroneum, & à S. Congregatione Indicis juſſum expungi ex Opuſculo P. Lienhardii.

46. Non eſt Bajanum, ſed dogma Catholicum, & à plerisque Theologis melioris notæ conceſſum, quòd nullum detur opus meritorium vitæ æternæ, quin ſaltem virtualiter per modum actus imperati procedat ex præcedenti actu charitatis operantis.

47. Non eſt dubium, à peccatore poſſe elici opera ex ſuo genere moraliter bona, & obſervantiam variarum legum quoad ſubſtantiam, illa tamen opera ex ſuo genere, quoad ſubſtantiam, & in eſſe morali bona juxta Patres & inſigniores Theologos, non ſunt *per-*

fectè

fectè bona, nec habent rationem *perfectæ virtutis*, aut *simpliciter veræ virtutis* relatè ad finem ultimum, ſi non ordinantur à charitate ad finem ultimum.

48. D. Auguſtinus & S. Iſidorus non bajanizant, dum aſſerunt, ſine charitate ſaltem initiali *nullum bonum bene fieri*, & ſine dilectione nullum opus eſſe *perfectè* rectum. P. Virgilius, ut extunderet Bajanismum, truncavit textum S. Auguſtini. Error Baij conſiſtit in eo, quòd opera Gentilium & peccatorum vocet ſimpliciter *vitioſa* & *vitium*. Id enim verum non eſt; quia actus ſpecificantur & denominantur à ſuo immediato motivo, objecto & fine, explicitè importato, quod etiam in peccatoribus eſt honeſtas talium operum ex ſuo genere bonorum.

49. Amor in Scriptura præceptus eſſentialiter involvit propoſitum ſaltem implicitum exercendi actus eſſentiales amoris practicos. Illi autem actus amoris practici conſiſtunt in exercitio variarum virtutum, & in actibus ex ſuo genere gratuitis, vi aliorum mandatorum indebitis, ubi ejusmodi actus in

caſu

casu particulari exegerit ordo charitatis.

50. Charitas exerceri nequit sine aliis virtutibus, quamvis aliæ virtutes exerceri possint sine charitate.

51. Imperita est hæc argumentatio: Charitas pertinet ad præcepta affirmativa. Ergo non involvit propositum implicitum, suo tempore exercendi virtutes in casu, quo urget ordo charitatis.

52. Ex eo, quòd eliciens actum charitatis non cogitet de exercendis virtutibus, non sequitur, quòd in actu charitatis non involvatur propositum implicitum, suo tempore exercendi varias virtutes, ubi in casu particulari earum exercitium exegerit ordo charitatis.

53. Ex eo, quòd actibus fidei, spei &c. non sit essentiale, ut imperent actus charitatis, non sequitur, actibus charitatis non esse essentiale, ut imperent actus aliarum virtutum.

54. Potest quidem dari opus bonum sine charitate, sed non perfectè bonum.

55. Potest quidem dari *obedientia vera* unius vel alterius particularis legis sine charitate, sed ea obedientia non habet ra-

rationem *perfectæ virtutis* ſine charitate. Multò minùs poteſt dari obedientia *totius legis* ſine charitate.

§6. Ex eo, quòd ad charitatem pertineat, imperare omne genus virtutum, non ſequitur, poſſe poni opera *imperfectè bona* ſine charitate.

§7. Ex eo, quòd omnia bona opera, meritoria vitæ æternæ, debeant ſaltem *virtualiter* procedere ex charitate, non ſequitur, quòd omnia bona opera ſint formaliter actus charitatis.

§8. Quando D. Thomas docet, omnia opera eſſe referenda in Deum, non loquitur de ea relatione ad Deum, quam opera habent ex ſe, ſed de ea relatione, quam acquirunt ex intentione operantis.

§9. Falſum eſt, quòd in amante formalitas amoris debeat poni reflexè.

60. Falſum eſt, quòd in amante formalitas amoris debeat poni explicitè.

61. Sicut humanitas Petri non eſt ſola anima rationalis, ita formalitas amoris non eſt ſolum ejus conſtitutivum formale, ſeu motivum formale.

62. Falſum eſt, quòd ad actum charitatis non requiram explicitum motivum formale.

63. Falſum eſt, errorem Baji præcisè in eo ſtetiſſe, quòd omnis bona actio ſit charitas; ſed etiam ac potiſſimùm in eo, quòd admiſerit charitatem perfectam ſine informatione gratiæ ſanctificantis.

64. Actus fidei & ſpei ſine charitate ſunt quidem ex ſuo genere opera bona, ſed non habent rationem *perfectæ virtutis* ſine charitate.

65. Falſum eſt, à me doceri, quòd quælibet bona voluntas præſtandi aliquod particulare obſequium gratum Deo jam ſit charitas. Nam charitas ſeu amor amicitiæ poſtulat indefinite quodvis obſequium gratum Deo, ubi illud in caſu particulari exegerit ordo charitatis.

66. Non particularitas, ſed univerſalitas bonorum operum eſt objectum practicum charitatis, urgens in caſu particulari, ubi hoc vel illud determinatum opus exegerit ordo charitatis.

67. Falſum eſt, charitatem à me conſtitui in nuda voluntate ſe ſalvandi, aut quomodocunque vivendi chriſtianè,

nisi addatur efficax propositum indefinitum placendi Deo per quævis opera Deo accepta, quæ in casu particulari exegerit ordo charitatis. Sicut enim charitatis erga proximum objectum practicum sunt omnia opera charitatis, ita tamen ut homo in casu particulari solùm obligetur ad ea, ad quæ pro varietate circumstantiarum adstringit ordo charitatis, ita etiam objectum practicum erga Deum sunt quidem omnia bona opera Deo accepta, ita tamen ut in casu particulari homo solùm obligetur ad ea, quæ hìc & nunc pro varietate circumstantiarum sub gravi vel levi exigit rectus ordo amicitiæ seu charitatis.

68. Idem explicatur uberius.

69. Falsum est, quòd D. Thomas, dum pro objecto charitatis ponit ultimum finem, seu beatitudinem, loquatur tantùm de objecto terminativo, non autem de objecto motivo.

70. Charitas juxta D. Thomam non tendit quidem in Deum, ut ex eo aliquod bonum obveniat distinctum à Deo; tendit tamen in Deum, ut ipsemet nobis obveniat per essentiam.

71. Voluntas ſervandi omnia mandata non eſt perfecta charitas, niſi ſit voluntas exhibendi Deo actus amoris amicitiæ practicos, ex ſuo genere gratuitos, ac vi aliorum mandatorum indebitos, quoscunque in caſu particulari exegerit ordo charitatis.

72. Theologi inſignes docent, quòd charitas, quæ eſt amor amicitiæ, ſit compoſitum ex amore concupiſcentiæ & benevolentiæ. Inter hos eſt ipſe D. Thomas.

73. Amicitia nec apud Ariſtotelem, nec apud Ciceronem, nec apud D. Thomam eſt amor puræ benevolentiæ.

74. Falſum eſt, quòd juxta D. Thomam amor amicitiæ mutuam communicationem bonorum reſpiciat affectu ſolo benevolentiæ.

75. Falſum eſt, quòd in Deo non detur amor concupiſcentiæ.

76 Falſum eſt, quòd D. Thomas ſub nomine concupiſcentiæ intelligat benevolentiam.

77. D. Thomas non aliter diſtinguit amorem concupiſcentiæ ab amore amicitiæ, niſi tanquam partem à toto.

78. Textus Apoſtoli, quòd charitas non quærat, quæ ſua ſunt, intelligendus eſt, quòd non quærat bonum privatum, quærat autem bonum ſibi & amicis commune.

79. Etiam Deus habet amorem concupiſcentiæ.

80. Etſi Chriſtus non habuerit Fidem & Spem Theologicam; ex eo tamen non ſequitur, quòd fides & ſpes non pertineant ad perfectionem Chriſtianam. Ergo etiam ex eo, quòd in ſua charitate non potuerit includere amorem concupiſcentiæ relatè ad *futuram* beatitudinem eſſentialem, non ſequitur, quòd ille amor concupiſcentiæ non pertineat ad perfectionem Chriſtianam.

81. Amor Dei imperfectus poteſt conſiſtere cum peccato mortali, non autem amor perfectus, in quo conſiſtit perfectio Chriſtiana. Talis autem amor perfectus non conſiſtit in nuda voluntate vivendi quomodocunque chriſtianè, aut in ſola voluntate præſtandi Deo tantùm aliqua particularia obſequia, ſed præſtandi prorſus omnia, quæ placent Deo, ubi ea exegerit ordo charitatis.

82. Quando D. Paulus dicit : *Vivit in me Christus;* non intelligit, Christum in se operari actiones personæ divinæ, sed conditioni humanæ congruas. Amor boni communis non taxatur ab Ascetis tanquam vitiosus, sed tantùm amor boni privati. In amore perfecto per concupiscentiæ amorem Deus solus attingitur ut *finis qui*, sed per amorem benevolentiæ tam Deus quàm homo sunt *finis cui*, quia utrique volumus bonum per affectum amicitiæ unitivum.

83. Virtutes non ponuntur per solum amorem benevolentiæ.

84. D. Thomas non docet, quòd amor concupiscentiæ sit positivè imperfectus, sed tantùm negativè, inquantum formaliter non includit amorem simul benevolentiæ.

85. Verisimilius est, in illo textu: *Ostende nobis Patrem & sufficit nobis*, optatam fuisse visionem intuitivam Dei.

86. Falsum est, Christum habuisse solum amorem benevolentiæ.

87. Falsum est, quòd juxta D. Thomam Angeli potius voluerint voluntate electivâ sui destructionem, quàm culpam.

88. Richardus à S. Victore non loquitur de puritate amoris, ſed de puritate virginea in B. Virgine.

89. Etiam Beati in cœlo adhuc habent amorem concupiſcentiæ, ſeu æternam eſuriem ſtante ſatietate.

90. Si B. Virgo fuiſſet parata ad ſui annihilationem, ad quam Chriſtus non potuit eſſe paratus, ſequeretur, quòd B. Virgo elicuiſſet perfectiorem amorem quàm Chriſtus.

91. 92. 93. Affectus ſtultus, qui D. Auguſtino affingitur, non laudatur à D. Saleſio; ſed dicit, quòd ille affectus potuerit eſſe *conjunctus cum alio affectu bono*. D. Franciſcus Xaverius ardenter optavit viſionem Dei beatificam.

94. 95. 96. Amari *propter ſe* apud D. Auguſtinum idem ſonat, ac eum appeti non propter aliud aſſequendum.

97. D. Saleſius in formali conceptu charitatis includit amorem concupiſcentiæ.

98. D. Thomas ſolùm docet, quòd amans non deſideret, ſibi aliquid obvenire diſtinctum à Deo.

99. Etiam D. Chryſoſtomus ſolùm docet,

à Deo

à Deo non esse petendam mercedem distinctam à Deo.

100. 101. 102. Velle uniri cum Deo non est amor benevolentiæ puræ, sed concupiscentiæ & amicitiæ.

103. Actus spei, si eliciatur ex motivo charitatis, erit formaliter actus charitatis; & consequenter, si viri perfecti actus spei elicerent habitualiter ex motivo amoris desinteressati, reipsa in iis daretur status habitualis amoris desinteressati damnatus in Fenelonio.

104. Etsi daretur in Fenelonio damnatus status habitualis amoris desinteressati *perpetuo* de se exclusivus timoris pœnarum inferni, per hoc tamen staret, quòd in statu habituali amoris desinteressati homo posset aliquando operari *præter habitum* ex timore.

105. Fenelonius à suo statu habituali exclusit etiam timorem filialem, quo timetur separatio à Deo.

106. Non repugnat quidem, ut idem actus procedat ex pluribus motivis se invicem adminiculantibus, non verò, ut procedat ex diversis motivis sibi invicem adversantibûs, nempe ex moti-

vo amoris desinteressati, & interessati.

107. Attritio per hoc ipsum est imperfecta respectivè, quòd respiciat partialiter ad pœnam.

108. Metus inferni non potest imperare charitatem, nisi tantùm *indirectè* per modum *excitantis* potentias ad considerandа & amplectenda motiva amoris.

109. Metus inferni non potest imperare charitatem *elicitivè*, ita ut motivum metûs fiat intrinsecum charitati.

110. Hinc metus condeterminans per modum conmotivi intrinseci tollit rationem charitatis perfectæ.

111. Potest tamen cum charitate perfecta concurrere passio timoris.

112. Christus non præcipit absolutè, ut quis operetur ex metu servili, si possit tentationes vincere ex motivo amoris.

113. Aliæ virtutes non possunt ingredi charitatem per modum conspecificativi charitatis consideratæ quoad suum esse formale.

114. Non est verosimile, angelos bonos partialiter abstinuisse à rebellione ex metu inferni.

115. Sacramentum non facit ex attrito contritum mutando actum, sed habitum.

116. Sola exclusio metus servilis non facit extra Sacramentum contritionem perfectam.

117. Elicere contritionem perfectam solùm iis est specialiter arduum, qui prius non fuerunt exercitati in actibus perfectæ charitatis.

118. Juxta D. Thomam charitas perfecta nititur ejicere omnem metum servilem pœnarum.

119. Adversarii, dum concedunt, metum excludi à linea seu formalitate charitatis, eoipso debent concedere, quòd contritio non sit justificativa, nisi excludat metum.

120. Non intensio actûs, sed extensio actûs ad actus amoris practicos etiam accidentales & intensio virium facit contritionem extra Sacramentum perfectam ac justificativam.

121. Quando affero, quòd extra Sacramentum *regulariter* non obtineatur gratia, sensus est, quòd à peccatoribus regulariter non ponatur contritio perfecta, quia illa in peccatoribus rara est.

122. Falsum proin est, quòd doceam, extra Sacramentum *nunquam* dari contritionem justificativam.

123. Contritio tantùm debet esse libera à timore servili, non à filiali.

124. In Sanctis morientibus tantùm erat passio timoris.

Puritas à metu contritionem tantùm negativè reddit perfectam.

Non potest eadem virtus procedere à diversis motivis formalibus.

Dilectio initialis & perfecta conveniunt quidem quoad actûs substantiam in consideratione physica, sed non in consideratione morali.

Non docui, quòd discrimen attritionis & contritionis extra Sacramentum non proveniat ab extensione actûs vel intensione virium, sed tantùm ab unione ad gratiam; id enim solùm docui de contritione sacramentali. Immo contritio extra sacramentalis necessariò debet prius esse perfecta in suo esse materiali, antequam intelligatur esse informata per gratiam.

125. Quòd dilectio initialis & perfecta sit idem habitus quoad substantiam non est singularis sententia, sed communis.

Neque eſt ſingulare dogma, quòd attritio fiat in Sacramento contritio perfecta per unionem ad gratiam Sacramenti.

126. Neque eſt nova ſententia ſed omnium Theologorum, quòd gratia ſanctificans in Sacramento obtenta tribuat ſufficientiam moralem ad obſervandam totam legem.

Non docui, quòd attritio à contritione perfecta extra Sacramentum differat per unionem ad gratiam Sacramenti.

Morinus non eſt falſiſſimus, ſed doctiſſimus.

127. Liber Lienhardii verè confixus eſt relatè ad ſententias.

128. Non docui, quòd omnis voluntas vivendi chriſtianè *quomodocunque* ſit charitas Theologica.

129. Falſum eſt, quòd juxta me contritio perfecta extra Sacramentum non ſit juſtificativa.

130. P. Virgilius nec demonſtravit, nec ex Thaulero demonſtrat, quòd actus perfectæ charitatis ſit actus puræ benevolentiæ.

131. Imprudenter egit P. Virgilius, credendô famæ mendaciſſimæ, non Lienhardianas, ſed meas ſententias Romæ fuiſſe prohibitas. Diſcat ex Reſcripto Romano meliora, & ex Pontaſio meliora doceat.

132. P. Virgilius tenetur ad reſtitutionem famæ, quòd calumniosè ſcripſerit, à me impugnatam fuiſſe Immaculatam Conceptionem.

133. P. Virgilius calumniosè & imperitè impugnat meas propoſitiones reſpicientes Interceſſionem B. Virginis.

FINIS.

Errata Typographica.

Pag.	Lin.	Errata	Lege
42.	5.	deſerois	deſirois
65.	8.	intrinſeca	extrinſeca
77.	27.	fol. 19. N. 26.	f. 18. N. 25.
85.	3.	Hunc actum	Dico hunc actum
86.	25.	ſit neceſſarius	non ſit neceſſarius
88.	22.	in extenſione	in intenſione
109.	9.	1. 2. q. 13.	1. 2. q. 113.
110.	28.	*ſed non*	*ſeu non*
114.	23.	*illa*	*ita*
119.	1.	f. 17. N. 22.	f. 17. N. 23.
130.	23.	ex bonorum	& bonorum
142.	1. & 2.	*à num. 36.*	*citatus à num. 36.*
199.	24.	habitûs	habitus
203.	14.	eſſentialis	eſſentiales
254.	5.	vires	vires deordinatæ vel
260.	30.	reali	reali inſtanti

In Præfatione

5.	9.	Notis	Nobis.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Sedlmayr, Virgil,

Hallucinationes Virgilii Sedlmayr circa Mandatum primum

Augusta Vindelicorum 1749
Mor. 916
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10597376-6
VD18 14379422-001